

7 pl. [illegible]

VRANIA VICTRIX.



Animæ Christianæ
CERTAMINA.


IACOBI BALDE
è
SOCIETATE JESU


URANIA VICTRIX.

Cum facultate Superiorum.

MONACHII,
Typis JOANNIS WILHELMI SCHELL,
Sumptibus JOANNIS WAGNERI, Civis ac Bibliopolæ Monacensis.

ANNO M. DC. LXIII.





SANCTISSIMO D. N.
ALEXANDRO VII, Pontifici Maximo.



AD pedes tuos, BEATISSIME PATER, cum Auctore suo, supplex se nostra prosternit *Vrania*. Quo nomine,

ne , quamcunque Christiani Hominis Animam, adversùs illecebras Quinque Sensuum Corporis sui , viriliter decertantem, appellare placuit: Victricis quoque titulum merituram, quoties tumultuantes, sibi, & honestæ servitutis legibus , vigilans Gubernatrix subjecerit. Antiquum & vetus classicum est: *Tentatio , vita hominis super terram.* Enimvero ingens bellum, insitivum & occultis fraudibus clandestinum. Quia *inimici* animæ *domestici ejus* : attributi quidem exulanti, à supremo Conditore, in fidele ministerium & solatium. Ideo & illos in corpore magnifico, & metricè composito, unicè dilectos circumfert, alit, ostentat. At enim hos suos tales juratos ad obsequia Dominæ famulos, sæpe sæpius experitur nocentes: quales Plautinæ Comœdiæ exhibent; genio, moribus & astutiâ versatiles. Quippe subdoli, curiosi, adulatores , ut ne dicam lenones; noverunt cupiditatibus suis subservire : dúmque strophas texunt, palpum obtrudunt;

He-

Heram circumveniendo decipiunt: ex formulâ Parasitorum consueta. Scilicet bruti sensus, nisi assiduò rationis freno coërceantur, velut cætera bruta, quò naturalis impetus fert, exorbitant: adeò nonnunquam periculosè, ut nescias, prosit, an obsit magis hic famulatus, elephantorum more: qui in bellum adhibiti, primo aspectu, confusâ membrorum mole, crudo insuper barritu & odore ferino, ex adverso stantibus magnum pavorem injiciunt: & non rarò conceptam Ducis spem, præsertim viso sanguine, pugnacissimè explent: falcibus ad rotas, seu temonem quadrigarum; vel rhomphæis ad proboscidem aptatis, hosti quantumvis acri formidabiles. præcipuum non semel ad victoriam adjumentum. Si tamen eædem belluæ, vel clamore militum, vel dolore vulnerum, in rabiem agantur; retrò versæ, furibundâ cæcitate suosmet incursant, civilique strage totam aciem fœdant. ita pariter *Quinque Sensus*, Animæ contra Mundum, Car-

nem ac Dæmonem pugnanti, utilissima subinde adminicula præstant: oculis, auribus, & sagaci naso indicantes hostilium insidiarum discrimina. Stant pro muro in facie defensores. Verùm, ut penè nihil diuturnum in rebus humanis est, ambiguæ fidei famuli, quorum fidebatur obsequijs, inconstantes ac leves, subitò nonnunquam mutantur: &, seu pravâ inclinatione, seu vehementi cupiditate efferati, ad deteriora provehuntur: retróque acti belluino impetu, ipsam Moderatricem suam jugo excutiunt, obteruntque. Quid? quòd aliquando audeant palàm desciscere, & arma minari: quódque pejus est, nil ferri aut terroris habentia. blanditijs, lenocinijs, pigmentis res tota peragitur. *Visus* vano fulgore perstringit: *Auditus* inani sono deludit: *Odoratus* fragrantiâ florum demulcet: *Gustus* vario sapore corrumpit: *Tactus* pestiferâ voluptate emollit. Quo in conflictu rectè quidam exclamavit: *crebra pugna, rara Victoria.* Ut adeò mirum

rum non ſit, quanquam dolendum; Animam Chriſtianam, niſi in dominatu firma perſiſtat, egregijs virtutibus fulta; poſito diademate & gubernaculo, ſæpe ſervis ſuccumbere. Sed nos *Victricem Vraniam*, hac primâ parte, cantamus, ſaltem non probrosè victam. Hoc Argumentum totius Scriptionis eſt, numeris imparibus illigatum; ſed non omnibus abſolutum. Quod, quia tamen præliare, ad univerſi Generis humani bonum, dignámque ſcitu doctrinam ſpectans; Certamen, inquam iſtud *Animæ Chriſtianæ* cum *Senſibus* ſuis, in arena feſtivi Poëmatis, multam partem, allegoricè deſcriptum, ſupremo in Terris Agonothetæ, VICARIO CHRISTI demiſſiſſimè offero. Scimus, *neminem coronari, niſi qui legitimè certaverit*. Atqui omnium certamina ad illius curam pertinent, cui omnes commiſſi ſunt. Si qui eximij in hac luctâ Athletæ antecelluerunt cæteros; tuæ poteſtatis eſt, declarare. Certavit THOMAS DE VILLA NOVA: certavit FRAN-

CI-

ciscus Salesius: viciſſe, in cœlo coronatos fuiſſe, ex tuo Oraculo cognovimus. Hunc Sanctorum numero, Iſtum Beatorum Cætui, ſolenni ritu adſcripſiſti? Glorioſos profectò Præſules. quorum alter, ſemper excubans, tantâ ſeveritate *Senſus* ſuos perdomuiſſe traditur; ut manifeſtiùs ſanctam tyrannidem, velut in vera mancipia, quàm herile imperium exercere videretur. Alterum accepimus tam ſolerti induſtriâ, obſequia illorum, ad incrementum Divinæ Gloriæ diſpensâſſe: ut omnium uſus & ſanctiſſimæ Pietati ſubmitteretur; & Chriſtianæ Charitati feliciſsimè militaret. Hæc extra controverſiam. Sed qua fiduciâ, in *Sacratiſsimam Vaticani tui Sedem* irrumpat ruſtica mea Muſa, altior quæſtio eſt. reſpondebo, irrupiſſe eâ fiduciâ, qua Poëtæ ſolent, Domino illius loci non omnino incogniti. fiduciâ, dico: quam amor bonarum litterarum pollicetur: quam præveniens favor conciliat; & Germanicarum rerum notitia exauget: qua

intra

intra ſeptem Montes,ſupra ſex alios,ſtella coruſcans invitat. qua erudita *Philomuſi* amœnitas allexit : qua Æmulorum veſtigia ad Doctiſsimi Pontificis Sacrarium præceſſerunt. Denique, quâ facilis Majeſtas olim admiſit. Cùm adhuc Officio Nuncij Apoſtolici fungereris, tranſiréſque Monachium, in Weſtphaliam feſtinans : dignatum in Templo noſtro facere, nomine Collegij, ſalutare juſſus eram. primo congreſſu, ſuſpexi *Fabium Reverendiſsimum*; vidi *Chiſium Illuſtriſſimum*; ſenſi utrumque in uno *humaniſsimum*. Monaſterij deinde ad negotia Publicæ Pacis componenda incumbenti, cùm Lyram reſumere monerer,ut aliquã Oden dedicarem, hortabantur amici. expedivi unam : cui diſertè reſpondere ſuſtinuiſti. Oden,*Annulum Gygis* inſcripſeram; neſcio, quo fato, vel augurio afflatæ mentis. Qualiſcunque jam Vates habear : Certè præſagum omen non multò pòſt impletum fuit. Nam in Italiam redux, in Purpuratorum Patrum Senatum,

natum, ab Innocentio X. vix adlectus eras: & mox eidem suffectus es. Vidit Roma, vidit Orbis exultans, *Annulo Gygis Pastoris* successisse ANNULUM PETRI PISCATORIS. Utriusque munere in unum coëunte, *& jam* CHRISTI *pascis oves, & cæli claves habes.* Ut ad Piscatoris Annulum tandem & *Tertius Beatæ Æternitatis* accedat; Deum largientem Vitam & Victorias ritè precabimur. Hoc summum ultimúmque desiderium esto, ad pedum tuorum oscula iterum suppliciter se provoluentis. Ita vovet

Sanctitatis Tuæ

Servus Humillimus.

JACOBUS BALDE
Societ. IESU.



Facultas R. P. Visitatoris & Vice-Provincialis Societatis Iesv per Superiorem Germaniam.

CVm Primam Partem Poëmatis de *Urania Victrice*, *sive Animæ Christianæ certamine adversùs illecebras & insultus Quinque Sensuum, ministrorum corporis sui*, Elegiaco Carmine descriptam à Iacobo Balde Societatis nostræ Sacerdote, aliquot ejusdem Societatis Patres legerint, censuerintque publicâ luce dignam: ego Christophorus Schorrer Societatis Iesv per Superiorem Germa-

maniam Visitator, & Vice-Provincialis, potestate ab admodum Reverendo Patre Ioanne Paulo Oliva Vicario Generali ad id mihi concessâ typis excudi permitto. In quorum fidem hoc Auctori Chirographum consueto Officij mei Sigillo munitum dedi. Monachij. 16. Ianuarij 1663.

Christophorus Schorrer.

VRA-

VRANIA VICTRIX

SIVE

ANIMÆ CHRISTIANÆ CERTAMINA ADVERSUS

ILLECEBRAS ET INSULTUS QVINQVE SENSVVM,

MINISTRORUM CORPORIS SUI ELEGIACO CARMINE DESCRIPTA

à

IACOBO BALDE
ê Societate JESU.

Pars I.

OPUS TRIPARTITUM.

Pars I.

Quæ hîc exhibetur, continet Epiſtolas triginta.

Pars II.

Complectitur Elegias, in quibus animæ Chriſtianæ adhuc ergaſtulo corporis incluſæ alternantes motus, viciſſitudines, læta ac triſtia; vitæ item religioſæ præcepta traduntur. denique Uraniæ jam utcunque à rebellione ſenſuum liberæ referuntur amores, gemitus & ſuſpiria ad cœleſtem Sponſum.

Pars III.

Exhibet Vraniæ ſacra ſpectacula.

Candi-



Candido Lectori.

AD MELIOREM NOticiam hujus Scripti

ISAGOGE.



T aliquid mollioribus metris illigarem; invitatus, dicam, an irritatus, assensi tandem; sive facundis afflatibus faventium motus; sive insidiantium dubijs querimonijs incitatus: quibus nescias, incendere me probandum voluerint, an exagitare contumacem. Mussabat nimirum aliquis: omninò debes adhuc gratiam istam mansuetioribus Musis, ut tenerum vel masculum quodcunq; commentum, cũ lauro meriturus & myrtum, numeris imparibus canas, imparibus inquam: quoniam numero Deus impare gaudet. Sat esse datum Venusinis fidibus: sat Juvenalis & Horatij ancipiti rhomphææ. Sat denique enthusiasmis, & exoticorum

conceptuum æſtuoſis torrentibus. moderandum nunc eſſe ingenium, excutiendos vel refrenandos furores. Jactabant alij callidiùs: facile eſſe nonnullis, dum fervet ſanguis, in diverſa & quodammodo ab humanis uſibus abſtracta Themata, quaſi lymphatos rapi. illum Poëtam magni nominis cenſendum, qui in certo pulcróque ſed leniori argumento, ſtabilem pedem haud inglorius fixiſſet. Elegiaco ſtylo aliquid ſcribere, molli atque Jonico: hoc eſſe quod pervadat animos, & famam conſummet. atque hoc jactantiùs improperabant, credo, ut periclitarentur, an ex Satyrico Lyricóque Poëta, elegiacus fieri poſſem: hoc eſt, ex feroci vena, mitiorem limpidúmque humorem Caſtalium, abſque ſpuma fundere. Quacunque mente vel amphibologia me aggreſſi ſint amici; parùm refert. in illorum demum ſententiam conceſſum eſt.

Circumſpicientem deinde materiæ delectum, variæ cogitationes diſtrinxere. Quid enim flebilibus modis non deploratum, aut eroticis non decantatum eſt? Thalami, horti, nemora, montes, flumina, cellæ, triclinia, templa, Sepulcra; ſed ante omnia Domus Veneris, Paphus, Cithera, Gnidus, Amathus, Cyprus, patentibus folijs diſertiſſimè celebrata ſunt. Quidquid urit, ardet, friget, gemit, ridet, ſalit, vernat, viret; jam olim ad claudicantem Deam delatum

fuit,

fuit, per undenos pedes emodulandum. Ut Batavorum Anglorúmque amores taceam elegis vulgatos; in quibus enarrandis, omnis penè Heterodoxorum ſtudioſa laſcivia deſudat: quis non putet ſacri profaníque Amoris pharetram exhauſtam eſſe? Magdalenæ lacrymæ Scaldim, Antuerpiam, totúmque Belgium irrigârunt. Romanæ Sponſæ fletibus, poſt Alexij fugam Tybris crevit. Paſſim volitant Heroum Heroidúmque Epiſtolæ. Theophilus ſalutat ſuam Dorotheam: Valerianus Sponſus Tiburtium fratrem. Gilimer Rex gemit, Emmanuel Soſa naufragus tremit. Polydora ſcribit Alexio: Theodora Didymo, Alenia Phoſphoriano, Barbara Dioſcoro, Theopiſta Euſtachio; ſcilicet altera Penelope ſuo Ulyſſi. Quin & Evam habemus protoplaſtam matrem, aviam noſtram; tam cultum, quàm diſpendia terreſtris Paradiſi nobis luctuosè ingerentem: Tiræa ſcribit de mundi naufragio: Sibylla de Babyloniæ Turris inſana ſubſtructione: Maria de Pharaone ſubmerſo: Juditha de Holoferne occiſo. Jam verò Pia deſideria quis non deſiderat? teneri amores etiam in tenerrimis legentium amoribus reſultant & liqueſcunt. Quid igitur adderemus ad iſta? quandoquidem decoctus aſſis exhauſtæ Elegiæ videatur. amandi quidem lugendíque materia ſemper ſuppetit: at ijdem affectus, eodem rore manantes, plerumque

redeunt. Ortum autem ſolis & occaſum quis non deſcripſit? Ver & Æſtas defluxere, ut tempora ſolent. Quin anni Quatuor Tempora, nonnemo floridis compedibus impedivit, ſuccinctè & eleganter, ſcires nihil ſupereſſe niſi vetera.

Hæc aliáque expendenti, redit in memoriam B. Jacoponi, ex D. Franciſci Familia Viri clariſſimi, ſanctéque jucundi * Apologus, de *Quinque Senſibus* humani corporis, imperio Animæ relictis: traxíque in Argumentum propoſiti mei. Dixeram, quod quædam apud Ovidium l. 4. Metamorphoſ. Fab. 3.

Hæc placet, hæc: quoniam vulgaris fabula non eſt.

Fabula! immò hiſtoria Tragicè veriſſima. *Quinque Senſus* hominibus ſæpe omnem ſenſum eripiunt, & omnia Theatra funeribus implent. Famoſus iſte Apologus refertur à R. P. Matthæo Radero noſtro in Viridarijs. & R. P. Jeremia Drexelio, in ſuo Niceta. Lib. 2. c. 9. §. 5. ex poſteriore ipſa verba annumero.

Virgo erat: & huic quinque Fratres. Primus, Pictor: alter Muſicus: tertius, Pharmacopola: quartus, Cocus: ultimus, Caupo; homines exigui censûs. Horum ſororem fecit opulentam nobiliſſimus unio, Hunc pauperculi fratres precibus extorquere certatim inſtiterunt. Muſicus: noſti, ait, rem eſſe tenuem; da gemmam tuam, & ſer-

* *Vid. lib. 7. Silvarum Lyr. Oden. 2.*

servâsti vitam meam. pro ea ego modos musicos faciam, quos laudes. Tu verò abi, mi frater, inquit Virgo, tantillo pretio gemma mihi mea venalis non est. Pictor ut gemmam impetraret, picturam promisit, quam haberet elegantissimam. sed repulsam tulit. Idem tentavit & pharmacopola, nescio quid novæ fragrantiæ pollicitus: sed eadem repulsâ dimissus est. Nec aliud tulit responsum coquus; etsi Iovis cerebrum & delicias exquisitissimas sponderet. Caupo homo impudens, scire se ajebat lectissimos Iuvenes, qui omnes ejus esse cuperent mariti: hac in re solertem se fore actorem recepit. Minimè placuit, qui maximam sperabat gratiam, extemplo rejectus.

Hanc demum gemmam Optimas obtinuit, in cujus una thalamum denupsit Virgo.

Hoc ita Iacoponus explicabat: Anima, *Virgo est:* Voluntas *gemma. Virginis fratres sensus exteriores:* Visus, *Pictor:* Auditus *Musicus:* Odoratus, *Pharmacopola:* Gustatus, *coquus:* Tactus, *Caupo. sed an non insigniter delirâsset Virgo; si pro reculis vilissimis sua se gemma privâsset?* Optimati Christo Domino *erat servanda. atqui nos longè stultiores sumus, & vero nomine insani: qui arbitrij nostri, seu nostræ voluntatis pretiosissimum unionem, pro delicijs escarijs, pro obscœnis narratiunculis, pro Venereis delectatiunculis, pro vitreis fractis & pupis; verè pro Scarabæi umbra, non vendimus, sed turpissimè abijcimus.*

Itaque hunc Apologum latiùs pertractandum arripui: quòd viderem in molliores numeros ſatis aptè conijci poſſe; ſi aliquem tractabilis ingenij Poëtam nanciſceretur. Quid igitur? ego nempe ille! hactenus Romanæ Fidicen Lyræ habitus, dubius Macrorum Pinguiúmque cauſſidicus, poſt vanitatem exploſam, etiam Tabacophilorum Satyricus irriſor: atque ut cætera taceam, non ſine horrore Oſcus & Caſcus: immò vultuoſam toruitatem rigido Stoicóque carmine profeſſus. unde meritò poſſit temeritas videri audentis teneræ Elegiæ Nymphæum ingredi; & delicatas aures inconditis ſtridoribus pulſare. Hæc quidem juſtos metus inijcere poterant. ſed enim, niſi fallor, animum Muſæ, non faciem occupant. ſaltem tentandum eſt, antequam deſperandum. multorum gloria in obſcuro latet, quia ignavi prodire timuerunt. Memini cùm adhuc juvenis, ſtylos Vet. Poëtarum exhiberem; omnium exſpectatione delusâ, Ovidianam Epiſtolam primas tuliſſe. ergo timore vacillaturi ſucceſsûs ſepoſito; unáque furentibus Archilochi jambis atque ferociæ ſtimulis ſive excuſſis, ſive ſuſpenſis; mitiore ſerto cinctus, in placidum hominem redire ſuſtinui. Sic autem redij: quomodo tempeſtatibus exaſperatum mare, non ſubitò; ſed ludibundâ morâ ſenſim recomponitur. aliquamdiu fluitantis venti veſtigia notantur errare in

aquis,

aquis, quas fluctus crispant. tandem omne sternitur, quod turbatum erat: & ad amœnæ quietis imaginem renidet. Hæc origo & Argumentum scriptionis. quam in tres partes tribuimus. Pars I. continet triginta epistolas præsentes: in quibus Anima cum sensibus suis, tanquam cum ambiguæ fidei ministris, subdolis amatoribus & procis certare cogitur. *Caro concupiscit adversus spiritum, & Spiritus adversus carnem. hæc enim duo sibi invicem adversantur.* Pars II. Uraniæ Victricis saltem à sensuum periculoso jugo jam utcunque liberæ, sacros amores refert: pios item gemitus & suspiria ad cœlestem Sponsum, per elegias deducta. Pars III. in Uraniæ Deo consecratæ divinis spectaculis consumitur.

De nomine VRANIÆ.

QUi Quinque sensus puellari specie exhibent, ut passim Pictores: Animum, velut Dominum illorum constituunt: ut revera esse debet; nisi paullatim propudiosè subigi, prosterníque ac perire velit, ad siliquas & famem damnandus. Qui verò eosdem schemate virili juveniliter formosos repræsentant; ut aliqua sit diversitas sexûs; *Animam*, tanquam *mulierem fortem, & de ultimis finibus pretiosam*; Dominámque suarum rerum venerantur ac salutant: utpote quam Ministri sensus omnes corporei, justo

gratóque obſequio ſemper, ſatellitum morē; ſtipent; tutentur ac juvent. Nos, neglecta Lege Salica, cum B. Jacopono ultimum ſchema eligentes, Animam producimus Reginam ſui, &, ſi velit, totius Mundi: dotibus à Deo conceſſis, & in primis Libero Arbitrio, nobilem; membríſque inſuper ad omnem uſum habilibus cinctam. Hanc ergo *Vraniam* dicimus. Hoc nomine inſignire Animam placuit. non, quomodo Platonici delirantes philoſophati ſunt; vel Origenes exiſtimavit: quaſi ex cœleſti materia deciſam; & jam ante corporis fabricam inter ſidera vagam; mox in corporis ergaſtulum, propter delicta retruſam: ſed ut eſt, *Spiraculum vitæ*, à Deo ex nihilo creatum, infuſúmque; cœlo debitum, cœlo inſerendum, ad contemplationem rerum cœleſtium conditum. Quo nomine & Muſa quædam, inter Novem, curſibus aſtrorum intenta nuncupatur Uranie.

Accipe Origenis errorem ex S. Auguſt. *a Animas hominum non eſſe ab initio inter cæteras intellectuales naturas, nec ſimul creatas, ſicut Origenes fingit: ſed dicimus creationem Animæ, ſolum creatorem noſſe.* Item: *b Aliqui dixerunt, quia Animæ ſurſum in cœlo peccant; & ſecundùm ſua peccata ad corpora rurſus diriguntur, & dignis ſibi quaſi carceribus includuntur. Hoc autem propter Apoſtoli evidentem ſententiam reſpuit Catholica*

a *De Eccleſiaſt. Dogm. c. 14.* b *De Verbis Apoſtoli. Serm. 7.*

lica Fides: Quòd Animæ in cœlis priùs vivant, & converſentur: & illic recipiendorum corporum merita aſſumant.

Quemadmodum ergo Caro non redit ad homines, ex quibus creata eſt; ſed ad terram, unde homini primò formata eſt: ita & ſpiritus non redit ad homines, à quibus transfuſus eſt; ſed ad Deum, à quo illi Carni datus eſt. a

De Dignitate Animæ Humanæ.

Ex S. Auguſtino.

N*Atura Animæ præſtantior eſt, quàm natura Corporis.* b *nam ſicut Deus omnem creaturam, ſic Anima omnem corpoream creaturam, naturæ dignitate præcellit. excellit multùm. res ſpiritualis eſt. res incorporea eſt: vicina ſubſtantiæ Dei. inviſibile quiddam eſt. regit corpus, movet membra, dirigit ſenſus, præparat cogitationes, erigit actiones: capit rerum infinitarum imagines.* c *Omne quod ſcit Animus, in ſeſe habet: nec ullam rem ſcientia complectitur, niſi quæ ad aliquam pertineat diſciplinam. eſt enim quarumcunque rerum ſcientia. ſemper igitur Animus humanus vivit.* d *Propriam quandam habitationem ejus ac Patriam, Deum ipſum credo eſſe, à quo creata eſt. ſubſtantiam verò ejus nominare non poſſum. non enim eam puto*

a *Lib. 10, de Geneſi ad lit. c. 9.* b *In Pſ. 145. Lib. 7. de Gen. ad lit. c. 19.* c *Lib. de immortalit. Animæ. c. 1.* d *De Animæ Quantitate c. 1.*

esse ex his usitatis notisque naturis, quas istis sensibus corporis tangimus. nam neque ex terra, neque ex aqua, neque ex aëre, neque ex igni, neque ex his omnibus, neque ex aliquibus horum conjunctis constare Animum puto. Simplex animæ natura dici potest; quia ex alijs naturis non est. a *Anima, quam creâsti Domine, non de te, sed per Verbum tuum, non ex qualibet elementorum materia, sed ex nihilo. quæ quidem rationalis, intellectualis, spiritualis, semper vivens, semper in motu: quam signâsti lumine vultûs tui; & consecrâsti virtute lavacri tui. ita facta est capax majestatis tuæ: quod à te solo, & à nullo alio possit impleri. quando autem te habet, plenum est desiderium ejus: & jam nihil aliud, quod desideretur, exterius restat. dum autem aliquid exterius desiderat; manifestum est, quod te non habet interiùs. quo habito, nihil est, quod ultra desideret.* b *Ab hac quantitas excluditur, dum nec altitudine, aut latitudine, aut longitudine metitur. Qualitas etiam formæ vel coloris ab hac secernitur: dum nulla forma, vel humani corporis, vel ullius coloratæ rei adscribitur. hæc est memorialis, quia præterita recolit: est etiam rationalis, quia præsentia discernit: est intellectualis, quia futura intelligit. Hanc esse immortalem, hinc quoque constat, quòd memoriam sui apud posteros perenniter durare laboret.* c *Solum homi-*

a *Lib. soliloq. Animæ ad Deum c. 30.* b *De cognitione veræ vitæ. c. 5.* c *De Ecclesiast. Dogmat. c. 16.*

hominem credimus habere Animam substantivam: quæ exuta corpore vivit; & sensus suos atque ingenia vivaciter tenet. a *Ad similitudinem totius sapientiæ facta, rerum omnium in se gerit similitudinem. unde à Philosopho definita est omnium rerum similitudo. habet siquidem in se vires, quibus omnia apprehendit, sive investigat: & omnibus similis existit, cum sit una.* b *Dum vivificat corpus,* Anima *est: dum vult,* Animus: *dum scit,* Mens *est: dum recolit,* Memoria *est: dum judicat,* Ratio *est: dum spirat vel contemplatur,* Spiritus *est: dum sentit,* Sensus *est.*

De Dignitate Animæ Humanæ ut Christiana est.

Ex S. Bernardo.

c QVanta *est nobilitas Animæ, Christum Iesum habere Sponsum! Intellige dignitatem tuam,* d *nobilis creatura: quoniam non solùm insignita es Dei imagine, verùm etiam decorata similitudine. considera ergo nobilitatem tuam: quoniam sicut Deus est ubique totus, omnia vivificans, omnia movens & gubernans. & sicut Deus est, vivit & sapit: ita tu secundùm modum tuum es, vivis & sapis. & sicut in Deo tres sunt personæ, Pater, Filius,*

a *Lib. de Spiritu & Anima. c. 6.* b *c. 34.* c *De Interiori Domo. cap. 69.* d *cap. 68.* e *cap. 67.*

lius, & Spiritus Sanctus: sic & tu habes tres vires scilicet Intellectum, Memoriam, & Voluntatem. & sicut ex Patre generatur Filius, & ex utroque procedit Spiritus S. ita ex intellectu generatur Voluntas, & ex utroque procedit Memoria. & sicut Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus S. non tamen tres Dij, sed unus Deus, & tres Personæ: ita Anima est Intellectus, Anima Voluntas, Anima Memoria: non tamen tres Animæ, sed una anima, & tres vires. a *Nobilem Hospitem habes, ô Caro, nobilem valdè. tota salus tua pendet de ejus salute. Da honorem hospiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua: Anima verò peregrina & exul apud te est hospitata. ac ne fortè despicias aut parvi pendas hospitem tuum pro eo, quòd peregrinus tibi videtur & advena: diligenter attende, quid hospitis hujus tibi præsentia largiatur. Ipse enim est, qui tribuit* Oculis *visum:* Auribus *auditum præstat: ipse est, qui* Linguæ *vocem,* Palato *gustum, motum* membris omnibus *subministrat. Siquid vitæ, siquid sensus, siquid in te decoris est, hujus hospitis beneficium recognosce. Denique discessus ejus probat, quid præsentia conferebat. protinus enim Animâ discedente, lingua silebit: oculi nihil videbunt: obsurdescent aures, corpus omne rigebit, facies expallescet, &c.*

De

a *De triplici Adventu, & Carnis resurrctione. Serm. 6.*

De Dignitate Animæ Humanæ ut Sponsa Christi est.

Ex eodem S. Bernardo.

ET *sponsabo te mihi in sempiternum: & Sponsabo te mihi in justitia, & judicio, & in misericordia & miserationibus. & Sponsabo te mihi in fide.* Osee c. 2. v. 19. a *Anima, quæ diligit Deum, Sponsa vocatur. hæc enim duo nomina, Sponsa & Sponsus, maximè indicant internos affectus. his enim omnia communia sunt; una hæreditas, una domus, una mensa, unus lectus.* b *Unde tibi ô humana Anima, unde tibi hoc? unde tam inæstimabilis gloria, ut ejus sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli prospicere. Unde tibi hoc, ut ipse sit Sponsus tuus, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur: ad cujus nutum universa mutantur? Quid retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi: ut sis socia mensæ, socia regni, & socia thalami; ut introducat te rex in cubiculum suum? vide, quibus brachijs vicariæ charitatis redamandus & amplectendus sit.* c *Sancta ergo Anima, & veri Sponsi Amica, ad Dilecti sui adventum summo cum desiderio semper debet inhiare. ibi ad se ipsam revertitur: & cum Dilecto suo usque ad intima cordis sui*

a *Serm. 7. in Cantica.* b *Serm. 2. Dom. 1. post Epiphan.* c *De interiori Domo c. 69.*

ſui penetralia ingreditur. Quid namque eſt ejus introire, niſi ſe totam in ſemetipſam colligere? quid verò eſt ejus exire, niſi ſe ipſam, extra ſemetipſam, totam effundere? a *Deus ſolus vult amari, & coli. Zelotypus eſt Sponſus iſte, ſi fortè alium amatorem receperis. ſi alijs magis placere ſtudueris; ſtatim diſcedet à te, & adhærebit alijs adoleſcentulis.*

DE QUINQUE SENSIBUS
CORPORIS HUMANI
MINISTRIS VRANIÆ
Sive
Animæ Chriſtianæ.

Ex S. Auguſtino.

b *IGnis non ſolùm fervidam habet qualitatem, cujus ſedes in jecore eſt & cerebro, verùm etiam luculentam, quam velut eliquari ac ſubvolare oſtendunt in excelſum cerebri locum, tanquam in cœlum corporis noſtri: unde & radij emicant oculòrum: & de cujus medio, velut centro quodam, non ſolùm ad oculos, ſed etiam ad ſenſus cæteros, tenues fiſtulæ deducuntur: ad* aures *ſcilicet, ad* nares, *ad* palatum: *propter audiendum, olfaciendum atque guſtandum,* ipſúmque tangendi ſenſum; *qui per totum corpus eſt.* c *Dominus Ieſus inſinuavit nobis, Animam humanam*

a *Scala clauſtralis.* §. 7. b *Lib. 7. de Geneſi ad literam. c.13.* c *In Evangel. Ioannis Tract. 23.*

manam, per corporalia mulceri posse sensu corporis, vel offendi: & propter hoc, id est, propter consortium quoddam naturæ & corporis in hac vita, atque complexum, delectari Animam lenitis, contristari offensis corporis sensibus. a *Videtis, quid Anima faciat in corpore. omnia membra vegetat. per* Oculos *videt, per* Aures *audit, per* Nares *olfacit, per* Linguam *loquitur, per* Manus *operatur, per* Pedes *ambulat: omnibus simul adest membris, ut vivant. vitam dat omnibus, officium singulis. Non audit oculus, non videt auris, non videt lingua: nec loquitur auris & oculus; sed tamen vivit. vivit auris, vivit lingua. officia diversa sunt, vita communis.* b *Animam sensibilem esse constat, dum oculis* colores, *auribus* sonores, *naribus* odores, *manibus* aspera vel lenia *sentire præstat.* c *Sensus absque animæ societate non movet corpus: anima verò & sine corpore rationale suum tenet.*

Ex S. Bernardo.

d *Sicut corpus habet suos Quinque sensus, quibus animæ conjungitur, vita mediante: sic & Anima suos Quinque sensus habet, quibus DEO conjungitur, mediante charitate. per sensus corporis veterascimus, & huic seculo conformamur. per*

B *sensum*

a *Serm. de Temperant. 186.* b *De cognitione veræ vitæ. c. 5.* c *De Eccles. Dogmat. c, 19.* d *De natura & dignit. amoris divini. c. 6.*

ſenſum verò mentis renovamur in agnitionem Dei. Quinque enim ſunt Senſus animales, vel corporales, quibus anima corpus ſuum vivificat. ut ab inferiori incipiam; Tactus, Guſtus, Odoratus, Auditus, Viſus. *Similiter ſunt Quinque Senſus ſpirituales; quibus Charitas vivificat Animam: id eſt, Amor carnalis Parentum, Amor ſocialis, Amor naturalis, Amor ſpiritualis, Amor DEI. per Quinque Senſus corporis, mediante vita, corpus animæ conjungitur: per Quinque Senſus paſtorales, mediante charitate, anima DEO conſociatur.*

De Dominatu Animæ in ſuos Quinque Senſus.

Ex S. Auguſtino.

a PRinceps *& Domina carnis, naturaliter Anima eſt: quæ domare carnem debet ac regere.* b *Cùm vult intelligere divina, vel Deum, vel omnino etiam ſe ipſam; ſuáſque conſiderare virtutes, ut aliquid veri certique comprehendat; ab hac ipſorum quoque oculorum luce ſe avertit: eámque, ad hoc negotium non tantùm nullo adjumento, verùm etiam nonnullo impedimento eſſe ſentiens, ſe in obtutum mentis attollit. Quomodo ergo ex eo genere aliquid eſt? cùm ejuſdem generis ſum-*

a *Lib. 2. contra Iulianum.* b *Lib. 7. de Geneſi ad literam. cap. 14.*

ſummum, non ſit niſi lumen, quod ex oculis emicat: quo illa non adjuvatur, niſi ad corporeas formas coloréſque ſentiendos: habétque ipſa innumerabilia, longè diſſimilia cuncto generi corporum; quæ non niſi intellectu atque ratione conſpiciat: quo nullius carnis ſenſus aſpirat.

Ex S. Bernardo.

NEc ſanè dixerim, ut vel ipſam odio habeas carnem tuam. a *Dilige eam, tanquam tibi in adjutorium, & ad æternæ beatitudinis conſortium præparatam. Cæterùm ſic amet Anima carnem, ut non ipſa in carnem tranſiſſe putetur; dicatúrq; ei à Domino. non permanebit Spiritus meus in homine, quoniam caro eſt. Gen. 6. Claude Anima feneſtras morti: obſera aditus: foramina obſtrue diligenter.* b *Quis enim prohibeat, quo minùs imperem membris meis? indicit igitur Anima gulæ jejunia, crapulam interdicit. Obturari præcipit aures, ne audiant ſanguinem: avertit oculos, ne videant Vanitatem.*

De pugna Animæ rixantis cum Senſibus ſuis.

Ex S. Auguſtino.

c *NOn poteſt coronari, niſi vicerit; nec poteſt vincere, niſi certaverit: nec poteſt certare,*

a *Serm. 11. in Pſ. qui habitat.* b *De converſione ad clericos c. 7.* c *In Pſal 40.*

nisi inimicum & tentationes habuerit. a *Quamdiu concupiscit caro adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem, sat est nobis, non consentire malis, quæ sentimus in nobis. nam ipsa continentia, cùm frenat cohibétque libidines, simul & appetit bonum, ad cujus immortalitatem tendimus, & respuit malum, cum quo in hac mortalitate contendimus. Hanc pugnam non experiuntur in semetipsis nisi bellatores virtutum, debellatoresque vitiorum. non expugnat concupiscentiæ malum, nisi continentiæ bonum. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desiderijs ejus. Milites Christianos, Apostolica Tuba isto sonitu accendit ad prælium. Non regnet peccatum, &c. Tunc autem regnare ostenditur, si desiderijs ejus obeditur; quibus non est obediendum.* b *Quantum potes, observa blandimenta draconis; ne fortè, si incautus fueris,* Quinque sensus, *qui in te sunt, quasi* Quinque Virgines *permittas à serpente corrumpi. Quidquid enim pulcrescit* Visu, *quidquid delectat* gustu, *quidquid blanditur* auditu, *quidquid lenocinatur* odoratu, *quidquid mollescit* attactu; *in his omnibus concupiscentijs malis, Animæ Virginitatem corrumpi permittimus. & impletur illud, quod per Prophetam dictum est: intravit mors per fenestras vestras. Hier. 9.* c *Concupiscentiam quis ambigat posse minui,* d *non posse*

con-

a *Lib. de continentia.* b *Lib. 50. Hom. Hom. 35.* c *Lib. contr. Iulianum. c. 5.* d *De Verb. Apost. Serm. 6.*

consumi? Plus habet virium Mens ad tenenda membra carnis, ne dentur in arma iniquitatis; quàm ipsa concupiscentia ad movenda membra carnis: si tamen Dei gratiâ adjuvetur. ob id scriptum est: subtus te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Gen. 4.

Ex S. Bernardo.

a UBi *non est libertas, nec meritum. propterea quæ sunt carentia ratione animalia, nihil merentur. Quia sicut deliberatione, ita & libertate carent. Sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. solus homo inter animalia liber. & tamen interveniente peccato, patitur quandam vim & ipsa, sed à voluntate, non natura; ut ne sic quidem ingenita libertate privetur. Quod enim voluntarium; & liberum est.* b *Quare Animam tuam vilipendis & ei carnem præponis? Dominam ancillari, & ancillam dominari, magna abusio est. non pro toto Mundo Deus Animam suam dare voluit, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit.* c *Non des Animam tuam in potestatem carnis: non consentias carnali delectationi. non potest corpus corrumpi, nisi priùs fuerit corruptus animus. si anima labitur, statim corpus ad peccandum paratum est. Anima præcedit carnem. in crimine Anima prima vadit ad peccandum. nil potest corpus facere, nisi quod voluerit animus.*

a *Serm. 81. super Cant.* b *Meditationum c. 3.* c *De modo bene vivendi. Serm. 26.*

De gloria Animæ Victricis sub nomine Uraniæ domantis Quinque Sensus suos.

Ex S. Augustino.

a *SVbijciamus Animam Deo, si volumus servituti subijcere corpus nostrum.* b *Quum Anima erigit se ad aliquid, quod ipsa non est, & quod supra ipsam est, & à quo ipsa est; percipit sapientiam, justitiam, pietatem: sine quibus cùm esset, mortua erat, nec vitam habebat, qua ipsa viveret, sed qua corpus vivificaret. aliud est enim in Anima, unde corpus vivificatur; aliud, undè ipsa vivificatur. melius est quippe, quàm corpus: sed melius quàm ipsa, est Deus. est ergo ipsa, etiamsi sit insipiens, injusta & impia, vita corporis. Quia verò vita ejus, est Deus: quomodo, cùm ipsa est in corpore, præstat illi vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum: sic, cùm Deus in ipsa est; præstat illi sapientiam, pietatem, justitiam, charitatem. aliud est ergo, quod præstatur corpori, de anima: aliud quod præstatur animæ, de Deo. vivificat & vivificatur.* c *Vnde beatitudo, qua fit beata ipsa Anima? non fit, nisi participatione illius vitæ semper vivæ, incommutabilis, æternaq́ substantiæ: quæ Deus est: ut, quomodo Anima, quæ in-*

a *De agone Christiano c. 12.* b *In Evang. Io. Tract. 19.* c *Tract 23.*

inferior Deo est, id, quod ipsa inferius est, hoc est, corpus facit vivere: sic eandem Animam non facit beatè vivere, nisi quod ipsâ Animâ est superius. superior anima, quàm corpus; & superior animâ Deus. anima ut præstat aliquid inferiori; sic præstatur illi à superiore. serviat Domino suo, ne conculcetur à servo suo. a *Non enim ad creaturam jubemur tendere, ut efficiamur beati, sed ad ipsum Creatorem.*

Ex S. Bernardo.

b *EX hoc jam Animam, suavitate hactenus & delicijs amoris tenerè enutritam; sed & paternæ pietatis disciplinis attritam: ex hoc jam, inquam, fortis ut mors dilectio, pervadit amoris gaudio, ab amore & affectu seculi sic occidens eam funditus, & interimens, sicut mors interimit corpus, in tantum, ut dici de ea possit, quod de Enoch: scilicet, quòd non invenitur in seculi actibus, quia transtulit illum Deus. sed corporeus morte sua mortificatur ab omnibus sensibus suis. anima autem morte sua proficit magis, & vivificatur, & roboratur in suis, fortiter & constanter.* c *Locum superiorem semper Ratio obtineat, nullúsque motus adversùs eam sit rebellis; sed omnia ei obtemperent, sicut & ipsa obtemperat Deo. Si verò aliquem motum, ad id, quod non debet, vel quomodo non debet, moveri senserit; non consentiat, sed illicò resistat.*

a *Lib. 3. de Lib. arbitrio c. 21.* b *De natura & dignitate amoris. c. 8.* c *De interiori Domo. c. 19.*

ſiſtat. nam ſolus conſenſus reos nos facit, tunc enim Anima mori, ſicut ſcriptum eſt, dicitur; cùm ipſa ratio ad peccatum per conſenſum curuatur. Anima enim, quæ peccaverit, ipſa morietur. reſiſtat ergo, ne moriatur. pugnet, ut coronetur. Moleſta eſt lucta ſed fructuoſa: quia ſi habet pœnam, habebit & coronam. non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus. immò quod reſiſtentem fatigat, vincentem coronat.

De Miſeriâ Animæ Humanæ à Quinque Senſibus ſuis victæ & ſub jugum miſſæ.

Ex S. Bernardo.

a UNde tanta puſillanimitas, & abjectio tam miſerabilis? ut egregia creatura, capax æternæ beatitudinis, & gloriæ magni Dei: utpote cujus inſpiratione condita, ſimilitudine inſignita, cruore redempta, fide dotata ſpiritu adoptata* miſeram non erubeſcat ſub putredine hac corporeorum ſenſuum gerere ſervitutem. *meritò planè ne eos quidem apprehendere poteſt*; quæ talem deſerens ſponſum, tales ſequitur amatores. *ſenſus à corpore citò recedit; Animam ſua mors comitatur euntem. Nec parum Animæ, ex hac conſideratione doloris accedit: cùm per feneſtras proprias mors iſta*

a *De Converſione ad clericos. c. 13.*

ista deprehenditur introisse. Multa siquidem admisisse videtur petulantia oculorum; multa pruritus aurium: multa quoque olfaciendi, gustandi, tangendíque voluptas. a *Quanquam & quævis perfectionis Anima, quamdiu quidem gemit sub corpore mortis hujus, & hujus seculi nequam retinetur inclusa carcere, vincta necessitatibus, lentiùs segniúsque assurgat, necesse est ad contemplanda sublimia: nec omnino liberum habet, sequi Sponsum, quocunque ierit.* b *Proinde clamat: non est in potestate cor meum, & cogitationes meæ, quæ improvisò effusæ mentem meam animúmque confundunt, atque aliò trahunt, quàm ego proposueram, ad secularia revocant, mundana inferunt, voluptates ingerunt, illecebrosa contexunt.* c Oculi *iniquo intuitu me perverterunt, omnémque motum mei corporis ad innumera desideria traxerunt.* aures *citiùs aperui verbis otiosis & vanis, quàm sanctis. Delectatus est* Odoratus *varijs odoribus,* Gustus *diversarum rerum diversis saporibus &c.*

d *Qui facit peccatum, servus est peccati. Ioann. 8. propterea cùm peccavit anima, servam se fecit. miro quodam & malo modo, sub hac voluntaria quadam ac libera necessitate, & ancilla tenetur & libera. ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem.* e *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Ezech. 18. Nonne ista morte duplici in-*

a *Ser. 21. super Cantica.* b *Lib. de Conscientia, c. 4.* c *Cap. 5.* d *Serm. 81 super Cantica.* e *Serm. 82.*

cursante, illa qualiscunque immortalitas, quam retentat, tenebrosa satis redditur & misella? adde, quòd appetentia terrenorum (quæ quidem omnia ad interitum sunt) densat tenebras; ita, ut in anima sic vivente, nil à parte aliqua; nisi pallida facies, & imago quadam mortis apparere cernatur. cur non enim quæ immortalis est, similia sibi, immortalia appetit & æterna; ut, quod est, appareat; & quod facta est, vivat? Cæterùm contraria sapit & quærit, & mortalibus sese degeneri conversatione conformans, immortalitatis candorem, quodam mortiferæ consuetudinis piceo colore denigrat. Qui tangit picē, inquinabitur ab ea. Eccli. 13. a *Sed & voluntaria illa necessitas, & contraria Lex inflicta in membris eidem incubat libertati: & liberam naturâ creaturam, per propriam ipsius voluntatem, dum allicit, subijcit servituti, implens faciem ejus ignominiâ, Quid tu Animæ tuæ aliam formam, immò deformitatem imprimis alienam? Quomodò obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Thren. 4. Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus. Psal. 48.* b *sed quid modò necesse est, singulas Animæ miserias numerare? quàm sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentijs, obnoxia passionibus, impleta illusionibus.*

c *Omnia mea membra volunt, conjuratione facta*

a *Ibid.* b *In Dedicatione Ecclesiæ. Serm. 6.* c *Lib. de Conscientia. c 5.*

facta cum inimico meo, de me Dominium ei tradere: cum morte fœdus inire; pacisci cum inferno. Hæc ex S. Bernardo.

Porrò & alij PP. quorum testimonia citare supersedemus, miserabilem hunc statum Animæ succumbentis sensuum suorum mortiferis illecebris, non minùs lamentabiliter exaggerant. S. Chrysost.a *barbarum* vocat *peccatum*, & tyrannidem exercens in Animam semel captam. S. August. ut qui maximè hanc servitutem olim passus, pluribus locis in Libris Confess. suarum hoc argumentum per facundos gemitus & atroces querelas deduxit. alicubi clamat: b *Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. velle meum tenebat inimicus: & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Duæ voluntates meæ: una vetus, alia nova; illa carnalis, illa spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam, &c.*

a *Hom. 9. in 2. ad Cor.* b *lib. 8. Conf. c. 5. & 10.*



Cur

Cur ad Apologum B. Iacoponi exprimendum Epiſtolæ aſſumptæ.

Item: De Stylo epiſtolari

Quinque Senſuum Animam ad proclivia ſollicitantium.

SEnſibus tanquam nuncijs uti, per quos accipiat, quidquid rerum corporalium non latet: teſtatur S. Auguſt. a *Luſtravi*, inquit, *mundum foris, ſenſu quo potui; & attendi vitam corporis mei, de me, ſensúſque ipſos meos.* b *Percurro januas omnes carnis meæ. Oculi dicunt: ſi coloratæ ſunt* (imagines tranſmiſſæ, & in ſenſu memoriæ reconditæ) *nos eas nunciavimus. Aures dicunt: ſi ſonuerunt; à nobis indicatæ ſunt. Nares dicunt: ſi oluerunt; per nos tranſierunt. Dicit etiam ſenſus Guſtandi: ſi ſapor non eſt, nihil me interroges. Tactus dicit: ſi corpulentum non eſt, non contrectavi. ſi non contrectavi, non indicavi.* Vides, ecce, nuncios, qui literas ferant ad Animam, tanquam Dominam ſuam. Domus Animæ, eſt ſimilis Palatio Famæ. de quo Ovid. l. 12. met.

In-

a *Lib. 7. de Geneſi ad. liter. c. 14. Lib. 10. Confeſſ. c. 40.*
b *Lib. 10. Conf. c. 10.*

Innumeros aditus ac mille foramina tectis
Addidit; & nullis inclusit limina portis.
Nocte diéque patet: tota est ex ære sonanti.
Tota fremit: vocésque refert: iterátque, quod audit.
Nulla quies intus, nulláque silentia parte.
Nec tamen est clamor: sed parvæ murmura vocis:
Qualia de Pelagi (si quis procul audiat) undis
Esse solent: qualémue sonum, cùm Iuppiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Illic credulitas, illic temerarius error;
Vanáque Lætitia est, consternatíque Timores:
Seditióque recens, dubióque auctore susurri.
Ipsa, quid in cœlo rerum, pelagóque geratur
Et tellure, videt, totúmque inquirit in orbem.

Haud secus Anima per sensus suos totum quodammodo Mundum peragrat: omnia lustrat beneficio Ministrorum, quamvis non rarò infidelium: & vaga curiositate se pascit, sæpiùs noxiâ. quæ audîsti in aula Famæ, à varijs & infidis rumoribus spargi semina credulitatis, errorum, vanæ lætitiæ, timoris, seditionum: eadem in cubili Animæ ferunt ac referunt adulatores sensus. Tabellarios cogita. tabellas ferunt, quà vera, quà falsa narrantes, impletúrque illud, quod sapiens prædixit. a *Quoniam creaturæ Dei, in odium factæ sunt; & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.*

Cha-

a *Sap. 14 v. 11.*

Characteres epistolarum, quas officiosi sensus Dominæ suæ ingerunt, à Philosophis *species* dicuntur: Latiniores simulacra rerum & volaticas imagines vocant. ex istarum intuitu haustúve insinuantur Animæ omnis generis lenocinia, quibus decepta, à cœlesti sponso suo sæpe sæpiùs avertitur, & procum quemcumque sensum amat, Hera famulum, Regina mancipium, *fornicata à Domino.* Qua phrasi Sacra pagina Jeremiæ & Ezechielis latissimè impleta personat. a *Fecisti nos Domine ad te: & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Hoc pactum nuncij sensus non semel nequissimè intervertunt: &, dum fallaciter blandiuntur, *à primo Amore Increato, sed omnium rectè amantium ultimo fine*, hoc est, *legitimo sponsi sui thalamo per summum nefas distrahunt.* Respice seculi nostri connubia. Quo tempore Mars populator opum, vastavit agros; júsque omne & nobilitas in armis erat, vidimus non paucas summa claritudine generis florentes Dominas; sed belli injurijs attritas, prædonum vitio egenas, armatis precibus delinitas, caloni aut servo suo nupsisse. An non & hîc verum est: *nimia familiaritas contemptum parit?* Qua ratione & Anima, Mens in regali solio collocata, *paulò minorata ab Angelis*, in Conditoris sui probrum, seducta violat fidem, & famulo adultera succumbit. illecebræ autem, à D. Aug. *machi-*

a *S. Aug. l. 1. Confess. c. 1.*

machina suggestionum vocatæ, quibus irretitur Anima, ut rupti fœderis infamiâ se taminet, meliùs atque honestiùs explicari non poterant, quàm simplici epistolari stylo, quo lenones utuntur, amatoriè ambitiosi. nam insinuare se nôrunt miris modis. dum virginibus suas spes ac vota, suos denique amores suppliciter commendant. interdum etiam suas vires ac facta pace bellóque insignia: denique potentiam, decora, divitiásque magnificè jactant; ut à principio lenes, sic in fine efficacibus verborum, atque cæremoniarum philtris, speratum consensum extorquere industrij. Perfidi sensus pariter Animam herilem illaqueare ac subigere student, obsequio, blandicijs, curioso variarum rerum ambitu, in oculos & aures, in nares & gulam ingesto. Totum fallendi artificium peritus magister Thomas Kempensis optimè declaravit his verbis: a *nam primò occurrit menti simplex cogitatio: deinde fortis imaginatio: postea delectatio, & motus pravus & assensio.* Examina *primum chirographum Decreti contrarium nobis, quod Christus delevit, affigens illud cruci.* Quis mortuales hasce literas exaravit? quis erotica tam funesta scripsit? sensus corporis: *Visus, Tactus, Gustus,* Evam Dominam decepere. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulcrum oculis, aspectúque delectabile: tulítque de fructu, &* co-

a *Lib. 1. de imit. Christi. c. 13.*

comedit : dedítque viro , & comedit. feralis pomi ſucco characteres mortis in Libro Conſcientiæ ſcripti duraverunt, durántque ad omnem Poſteritatem.

Elenchus Epiſtolarum in Quinque Libris.

LIBER I.

De primo ſenſu Visûs :

Continet ſcriptas ad URANIAM

Epiſtolas tres:
Visûs:
Pictoris:
Mathematici.

totidémque Uraniæ: quibus reſpondet.

LIBER II.

De ſenſu Auditûs.

Continet Epiſtolas tres:
Auditûs:
Muſici:
Poëtæ.

totidémque Uraniæ reſpondentis.

LIBER III.

De tertio ſenſu Odoratûs.
Continet Epiſtolas tres:

Odo-

Odoratûs:
Pharmacopolæ:
Unguentarij.
totidémque Uraniæ respondentis.

L I B E R IV.

De quarto sensu Gustûs.
Continet Epistolas tres:
Venatoris:
Coci:
Architriclini.
totidémque Uraniæ respondentis.

L I B E R V.

De quinto sensu Tactûs.
Continet Epistolas tres:
Cauponis: *Mundi.*
Aulici: *Carnis.*
Militis gloriosi: *Dæmonis.*
totidémque Uraniæ respondentis.

Hoc numero Epistolæ sensuum lenocinantes traduntur in manus Uraniæ, Animæ Humanæ locum atque imperium obtinentis. Cæterùm in ipsis sensibus procis, ordine dignitatis servato, tribus tantummodò scribendi licentiam dare placuit. *a* Si Joathamo per apologum,

a *Iudicum 9.*

ligna, olivam, ficum, vitem in ſylveſtribus comitijs, licuit alloquentia ſe introducere: quanto magis *ſenſus*, nobiliore anima, quàm vegetante præditos. Quòd tamen, ut dictum eſt, tribus duntaxat primis, quippe à materia altiùs elevatis, hoc eſt, *Viſui, Auditui, Odoratui* tribuimus. *Guſtus* & *Tactus*, ad paſtum & ventrem projecti, velut muta & bruta pecora ſilere jubentur. Vicarij ſubſtituti cauſſam illorum agunt, & ſupplent.

Quomodo Vrania ſive Anima Chriſtiana Senſibus conſenſum eblandiri cupientibus reſpondeat.

PUellarum nobilium exemplo: quæ nubiles, primò quidem ab honeſtis amoribus non videntur abhorrere. Simulant enim molles aditus, etſi intus rigidæ: foris utcunque blandiuntur, auſcultant. Porrò, cùm deſideria procorum accenderunt, exſpectationem optatæ admiſſionis deſtituunt, argumenta, preces, vota argutè eventilant. Quid? demum inviſos petitores manifeſtiùs deludunt, rident: ſed & de feneſtra exprobrant; verbo: repudiant. quod in Germania vocant *corbem dare*. Ipſiſſima imago pugnantis Animæ, ſive potiùs pugnare incipien-

pientis cum illecebris ſenſuum. rudis adhuc; ſed neque conſentiens, nec omnino abhorrens, connivet interdum, & nonnunquam ſubreptitijs imaginibus intendit aciem, ut capi poſſe videatur, ſpémque præſtet potiundæ; licèt immobilis ſtet. quem luctandi modum graphicè deſcribit S. Auguſt. utpote expertus. a *Retinebant me nugæ nugarum, & vanitas vanitatum, antiquæ amicæ meæ, ſuccutientes veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant: Dimittisne nos? &c.* & quæ alia Eroticæ literæ per ſenſus Menti tentatæ ingerunt. itaque ſubinde miratur, colludit, ſtupet: ac niſi divinæ Gratiæ filum ſequatur, in labyrinthum incidit.

Vraniam noſtram, mediâ viâ incedentem exhibemus: Victricem quidem, & caſtam: ſed non ſtatim ſanctiſſimam, nec omnis periculi expertem. In ſecunda Parte, à Senſuum tumultu utcunque libera, illuſtrior proponetur. paullatim proficimus. nunc Anima Humana, humano modo, cum ſenſibus ſuis, miniſtris neceſſarijs agit. Itaque datas Literas, quamvis illecebroſas, & *quæ narrant delectationes, ſed non ſicut Lex Domini*; legit, examinat, reſpondet: memor, quod & ipſa *Epiſtola* ſit, epiſtolam ſollicitantibus reponit; ne ruſtica habeatur. b *Epiſtola noſtra vos eſtis*, ſcribit ad Corinthios Apoſtolus. *epiſtola ſcripta non atramento, non in tabulis lapi-*

C 2 *deis*;

a *Lib. 8. Confeſſ c. 11.* b *2. Cor. 3.*

deis; sed in tabulis cordis carnalibus. Annotavit quoque Origenes: a *Animam peccatricem, peccati sui quodammodo literas scribere.* quippeni ergo & victricem Deóque fidam, deceat contrarias scribere: *peccare se nolle.* Hoc proposito firmata, nonnunquam Sensuum suorum votis faventem se ostendit; castigat tamen. laudat ministerium, sed matrimonium aspernatur: & *masculinum animum femineo pectori inserens,* quasi Machabæa aliqua, neque blanditijs, neque terrore commovetur: monens unumquemque, ut officium faciat suum; hoc est, serviat, dominari nolit. Quin etiam divina ope adjuta, pervicaciùs insultantibus frena, cruciatus, vigilias, flagella minatur, & infert. Queri interim, obsecrare, indignari, deridere, gemere, irasci, explodere, similésque affectus ciere, tam à sexu muliebri alienum non est, ut quodammodo proprium esse videatur: præsertim in discrimine castitatis, & tuendi honoris gloria. quod enim crescit ad pugnam, virescit in palmam. Feminæ autem & Elegiæ idem plerumque genius est. non semper ploret, ingemiscat, dissimulet: sed animosiùs quandoque insurgens, Amazonem se præstet;

& pharetrata, missilibus procùl agat.

Cur

a *Hom. 13. in Genesin.*

Cur Victrix Vrania producitur; Sensuum tamen suorum precibus ac desiderijs intenta, subdubitans, penè obnoxia; adeóque propior potiùs Victæ, quàm Victrici.

QVi *sine peccato est* (nunquam indulgens aliquid sensibus, aut connivens) *primus in illam lapidem mittat*; etiam Sisyphium. Certè à jactu D. Augustini, quantumvis acerrimi ac religiosissimi Præsulis, secura erit. Non loquimur autem de innocentibus columbulis, animulis inquam: quas præveniens Gratia Dei, extra ordinem, singulari prærogativâ, tantùm non omnino exemit à corruptæ massæ contagio. Ad humani generis infecti statum, ut communiter nunc se habet; ad quotidianas miserias, & maximè ad illud, *In multis offendimus omnes*, provocamus. rara avis ad retia, & viscum sensuum aucupum, non aliquot pennas relinquens. Quem enim non aliquando oculus vel auris decipit? Quis non lapsus est linguâ suâ? Prædictus Antistes, jam conversus, jam ablutus, immò jam Sanctus deplorat insidias illices sensuum; quibus implicitus aliquoties hæserit. a *Contendunt lætitiæ meæ, cum lætandis mœroribus* (ecce pugnantem) *& ex qua parte stet victoria, nescio* (ecce dubitantē) b *Delectatio carnis meæ, cui Mentem*

a *Lib. Conf. 10. cap.* 28. b *Cap. 33.*

tem enervandam non oportet dari, sæpe me fallit. dum rationem sensus non ita comitatur, ut patienter sit posterior: sed tantùm quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere ac ducere conatur. ita in his pecco non sentiens, sed postea sentio. (habes unum extremum vitandum.) *aliquando autem hanc ipsam fallaciam immoderantiùs cavens, erro nimia severitate.* (en alterum extremum.) Jam quotusquisq; medium semper tangit, in quo tamen sita Virtus est. propterea exclamat idem Doctor, quoties sensuum ministerio uti cogitur: *Fluctuo inter periculum voluptatis & experimentum salutis.* Quòd ut clariùs appareat, in usu (qui utique non tollendus est propter abusum) duûm honestissimorum sensuum, Visûs & Auditûs declarat. a De visu quidem. *Ipsa*, inquit, *colorum regina lux ista, perfundens cuncta, quæ cernimus; ubi per diem fuero, multimodo allapsu blanditur mihi aliud agenti, & eam non advertenti. insinuat autem se ita vehementer; ut, si repentè subtrahatur, cum desiderio requiratur: & si diu absit, contristet animum. Veruntamen in quam multis minutissimis & contemptibilibus rebus, curiositas nostra quotidie tentatur. & quàm sæpe labamur, quis enumeret? Canem currentem post leporem jam non specto, cùm in circo fit: at verò in agro si transeam; avertit me fortassis ab aliqua* ma-

a *Eod. lib. cap, 34.*

magna cogitatione, atq; ad se convertit illa venatio: nõ deviare cogens corpore jumenti, sed cordis inclinatione. & nisi jam mihi demonstrata infirmitate mea, citò admoneas (Deus) aut ex ipsa visione per aliquam considerationem in te assurgere; aut totum contemnere, atque transire; vanus hebesco. Quid, cùm me domi sedentem stellio muscas captans, vel aranea retibus suis implicans sæpe intentum facit? hujusmodi rerum conceptaculum fit cor nostrum, & portat copiosæ vanitatis catervas. hinc & orationes nostræ sæpe interrumpuntur. Hæc ex Hipponensi oraculo, denunciante pericula Visûs. adjunxit tamen & modum evitandi, ijsmet in summam utilitatem conversis. Talia videns inquit, *Pergo inde ad laudandum te Creatorem mirificum, atque ordinatorem rerum omnium.* Ergo idem sensus & nocere, & prodesse potest. non igitur semper inclementer habendus, sed cautè custodiendus. Audiamus eundem de Auditu. a *Quoties narrantes inania, primò quasi toleramus, ne offendamus infirmos. deinde paullatim libenter advertimus.* Quid igitur? optanda surditas? minimè verò. pateant aures ad honestos sermones, ad Hymnos sacros. b *Cùm reminiscor lacrymas meas*, ait, *quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ, in primordijs recuperatæ fidei meæ, instituti hujus utilitatem agnosco: ut per oblecta-*

a *Cap. eodem.* b *Cap. 33.*

menta aurium, infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Nota, Lector, utilitatem nobilissimi sensûs, vix oculo cessuri. at eundem officere posse, testatur idem malo suo edoctus. *Tamen cùm mihi accidit, ut me ampliùs cantus, quàm res, quæ canitur, moveat; pœnaliter me peccare profiteor: & tunc mallem non audire cantantem.* Hactenus ille. Quæ ex sanctissimo Patre descripsi, sine stupida scrupulositate accipienda sunt: (quanquam periculum nullum imminere videtur) ne timiditas ipsam usurpationem sensuum imminuat, aciémque penitus hebetet & obtundat. Si Quinque Sensuum spectemus usum, Naturæ munus; quamvis Animæ ministri sint: non tamen in illos serviliter agendum est semper: quippe in cognatos, à supremo Numine attributos; ut eorum beneficio atque auxilio, opera Dei discamus, prodigi in nos amorem hauriamus, miremur Conditoris gloriam, nostram felicitatem in æterna vita sitam consequamur. Audi D. Bernardum, *Quibusdam affectibus, & quadam amicitia, Anima corpori conjùngitur: secundùm quam amicitiam nemo carnem suam odio habet. sociata namque illi, licèt ejus societate prægravetur, ineffabili tamen conditione diligit illud. amat carcerem suum. & ideò libera esse non potest. formidat interitum, quæ mori non potest. Timet de-*

defectum, quæ per naturam non potest deficere. Oculorum pascitur speculatione: sonorum delectatur dulcoribus: larga epulatione reficitur, &, licet his rebus nullatenus ipsa utatur: gravi tamen mœrore affligitur, si subtrahantur. Ecce amicum consortium Animæ cum sensibus suis. equidem agnoscit famulos: sed tenero amore complectitur; scilicet ut suos, ut quodammodo consanguineos, ut æternùm secum mansuros, quocunque statu. barbaricum jus & imperium in amicos, tanquam mancipia Turcica, exercere non sustinet. nescias, sui, an sensuum gratiâ. Ut ne mireris, si Urania, etiam victrix, aliquando ministris suis fidelibus (esto, nonnunquam perfidis) aliquid indulgeat, connivens alludat; dúmne coronam capitis sui arbitrio dominantium substernat. Hactenus clemens erit. Quòd si petulanter recalcitrent; (nam equorum & sensuum refrenandorum regendorúmque eandem esse normam ac curam dixeris :) despoticè agendum est. poppysma sic mulceat equum, ut se tamen noscat extra metum calcarium non esse. Inveni unum, qui moribundus, sensibus suis gratias referret amplissimas, propter fidelem operam, tot annis præstitam. *a* Rem narrat R. P. Drexelius noster, his verbis: Memini me legere de ho-

a *Nicet. lib. 2. cap. 9. §. 5.*

mine ægro, sed rectissimè sibi conscio: qui in mortis vicinia, velut orator ad se ipsum, omnibus corporis sensibus meritam gratiam retulit, in hunc modum. O mei oculi, *amo vos de hac re, quòd passi estis noctem vobis & cæcitatem persuaderi, quotiescunque vanitatis aut lasciviæ aspiciendæ fuit periculum. hæc mihi nox, hæc cæcitas, sæpe fuit saluberrima.* O meæ aures, *gratias vobis habeo; quòd artificio extemporali obsurduistis, ad omnem inhonestum, obtrectatorium, noxium sermonem. hæc mihi surditas sæpissime fuit saluti.* O Manus meæ, *vobis memori mente adscribo, quòd delicias & Tactu jucunda potuerim aspernari: vestra mihi ad hoc profuit continentia.* O mi olfactus: *& tuis beneficijs respondeo. tua fuit virtutis & odores gratos spernere, & ingratos perferre, Dei caussâ. multum me juvit tua patiens industria. Et* ô mi Gustus, *tibi quoque me gratum præbeo: tibi acceptas refero victorias plurimas. pars salutis meæ maxima in te stetit. potuisti & dapibus carere, & inter dapes esurire. abstinendo & sustinendo promovimus. Igitur* ô meum corpus, *sine me brevi temporis spacio à te abesse. jungemur iterum, & unà fruemur præmio inexplicabili: felicitate non finienda*; Uraniæ Victrici debita.

SEN.



Non saturatur oculus Visu. Eccle. 1. v. 8.

SENSUS I.

VISUS.

Epistolarum

LIBER PRIMUS.

TOtum hujus Sensûs officium, munus, obsequium; sed & periculosam familiaritatem, immò & perniciosam libertatem optimè descripsit; & Oculum sub oculos posuit oculatissimus Doctor S. Augustinus Lib. Confess. 10. c. 35. *Huc accedit alia forma tentationis, multipliciùs periculosa. præter eam enim concupiscentiam carnis, quæ inest in delectatione omnium Sensuum, & voluptatum, cui servientes depereunt: inest Animæ, per eosdem Sensus, experiendi per carnem vana & curiosa cupiditas. Oculi sunt ad cognoscendum in Sensibus principes. Concupiscentia oculorum eloquio divino appellata est. Ad Oculos enim propriè videre pertinet. Vtimur autem hoc verbo etiam in cæteris Sensibus, cùm eos ad cognoscendum intendimus. Neque enim dicimus, audi, quàm rutilet aut olfac, quàm niteat: aut gusta, quàm splendeat: aut palpa, quàm fulgeat. Videri autem dicuntur hæc omnia*

mnia. Dicimus enim non solùm, vide, quid luceat; quod soli Oculi sentire possunt: sed vide etiam, quid sonet: vide, quid oleat: vide, quod sapiant: vide, quàm durum sit. ideoque generalis experientia Sensuum, concupiscentia Oculorum vocatur: quia videndi officium, in quo primatum Oculi tenent, etiam cæteri Sensus, sibi de similitudine usurpant; cùm aliquid cognitionis explorant. Ex hoc autem evidentiùs discernitur; quid voluptatis, quid curiositatis agatur per Sensus: quòd voluptas, pulcra, canora, suavia, sapida, lenia sectatur. Hactenus Africanum Oraculum. Sit ergo ratum. quantò Visus cæteris Sensibus præstantior atque utilior est, si munus suum rectè obeat: tantò nocentiorem experietur Anima; nisi probè coërcitus, Dominæ suæ non lenocinari, sed tantummodò famulari assuescat, *Nullum certè in homine membrum esse, quod ita Cordi satisfaciat atq; conspiret,* dicere solebat S. Catharina Senensis, divinitus edocta. Dialogor. c. 89. Hujus itaque Sensûs blandimenta tentantis Animam, &, si annueret, ad absurda ducturi, sicut & cæterorum Sensuum insidias, in mollia Epistolarum vincula conjecimus. familiaris enim scribendi modus, refert quendam procorum in agendo loquendóque modum: suavi sed tecta atque viscosa facilitate sollicitantium prædam capiendam. Sic Auceps capit Aves, procus puellas, Dæmon per Sensus Animas.

Ar-

Argumentum EPISTOLÆ PRIMÆ.

INſinuat ſe blandè hic Senſus, & circumſpiciens dotes ſuas atque pulcritudinem, Animæ fidelem operam pollicetur, atque pluribus præſtitam commendat: nimirùm ut votis ſuis obſequentem Vraniam paret.

Synopſis.

1. *Viſus, ſenſus inter omnes præſtantiſſimus: meritò ergo diligendus.*
2. *Oculi admirabilis fabrica.*
3. *Vis oculorum & efficacia: fulgor & fulgur.*
4. *Nulla Lia venuſta eſt.*
5. *Lacryma, aqua vitæ; hujus, oculi, fons: certè canalis.*
6. *Oculi dignitas, tutela, lætitia, lepor.*
7. *Oculus, animæ feneſtra. Ex hac enim veluti Dominam per cancellos, univerſa perſpicere: almúmque diem, & omnia ſub viſum cadentia delibare.*
8. *An non igitur Viſus in primis amoribus habendus?*

VISVS VRANIÆ.

QUo ſine non poſſes miſſam luſtrare tabellam,
Mittitur à Senſu nobiliore ſalus.
Quod Sol in Cœlo, quod Solis lumen in Orbe:
Hoc eſt in vultu, VISUS, Amica, tuo,
1. Quinque ſumus gemini Fratres digniſſimus horum,
Te quoque ſemper ego judice viſus eram.
Nam cur blandiris tam cautè ac molliter uni?
Cui dicis, *mea Lux*: Quid *mea vita* facis?
Ut circumſpicias temet; pars altera certè
Clarior haud fuerit corporis ulla tui.
Omnipotens aliud nuſquam majore paratu
In membrum tantas contulit Auctor opes.
2. Quicunque expendit fabricæ miracula noſtræ,
Victus laudandis ſe neget eſſe parem.
Neſcit Ariſtoteles: dubitat Galenus, & horret;
Gratior Utilitas, an mea forma prior.
Servo Caput ſummâ cuſtos Speculator in arce;
Excubiáſque tuo nomine ſemper ago.
Lene ſupercilium graciles curuatur in arcus.
Qui te cuſtodit; non hic inermis adeſt.
Stella tuens præfixa foris. Sic quiſque Viator
Noverit *Vranien* hoc habitare loco.
Hîc vigilo, neque enim ipſa negas; fidúſque ſatelles
Intromitto tibi, quidquid habere cupis.
At ne decipiar; nunc rectum miſſile vibro:
Nunc minor obliquum cominus, acre tamen.
Jactavit pelles clypei ſeptemplicis Aiax:
Munitus *Septem* ſum *tunicis* & ego.
Tres tibi præ reliquis caræ. queis nomina *Rete*
Et *Cornu* Spiſſæ lucis, & *Vva* dedit.
Tale nihil molli depectunt vellere Seres:
Tale nihil Phrygio pollice fecit acus.

Sed

Sed neque Arachnææ certent ſubtilia telæ
Viſcera : & in teretes ſtamina ducta rotas.
Lædere pupillam, gravis eſt injuria, noſtram.
Talitro frontem lædere, ludus erit.
3. Præterea nihil eſt oculi velocius ictu.
Non æquat Parthus, non jaculator Arabs.
Prævenit excuſſæ rutilantia fulgura nubis;
Summáque, momento temporis, aſtra ferit.
Femina præſertim noſtris accingitur armis:
Quando alia imbellis ſexus inópſque negat.
Militat aſpectu, cùm vult ſe fortiter uti.
Hinc velut ex pharetra fulgida tela jacit.
Jacta, Cupidinei penetralia pectoris intrant:
Perque animum rapidi fulminis inſtar eunt.
4. Da faciem quamvis, nulla non parte venuſtam.
Ni videat, fœda eſt: ni videatur, abeſt.
Turpe rudis catulus, communíque æthere caſſus.
Idem, cùm cæcus deſinit eſſe, placet.
Vile pecus talpa eſt. lynces celebrantur acuti:
Plauſtráque non humili Bacchica ſorte trahunt.
Solantur mœſtam Noctem procul ætheris ignes.
Sidera ſunt oculi, pulcher Olympe, tui.
Aſpice pavonem: quid enim formoſius illo?
Nimirum gemmas explicat ille meas.
In me viva ſuam fixerunt Gaudia ſedem.
Hîc habitant Charites: hîc genialis Amor.
5. Hinc manant lacrymæ: quas cùm miſeranda profundis;
Amittit vires egeritúrque dolor.
Crede mihi, non eſt humor pretioſior iſto.
Unica ſæpe Deum flectere gutta poteſt.
Hoc Superûm nectar quoties Metanœa propinat,
Exceptum phialis Angelus ipſe bibit.
Flent quoque jucundo vites imitamine noſtri.
Fletibus his ridet dulciùs uva magis.

6 Cur

6. Cur quidquid earum eſt, ex me cenſetur? & inde
Exauget pretium dos duplicata ſuum?
Urbs, *oculus Regni* ſi qua eſt *Auguſta*, vocatur:
Urbis ut in vaſto *Curia* pulcra Foro.
Euryalus Niſo, Pylades dilectus Oreſti,
Iſte meos oculos, dicit, amicus habet.
Hac leviter quoque nemo volet cum parte jocari:
Qui tamen in tergum ſæviet uſque flagris.
Cùm ſubit intrepidus fulvam gladiator arenam,
Mutuáque adverſo conſerit arma viro:
Non parcit manibus, latus objicit, omnia pugnam
Membra cient: oculis ſed cavet ipſe ſuis.
Vincat: at his læſis queritur de ſorte triumphi:
Et, mallet fracto ſuccubuiſſe genu.
Mecum lætitiæ, mecum ſunt mille lepores:
Mille voluptates pupula parva capit.
7. Per noſtras tamen ipſa ſoles lætata feneſtras
Proſpicere, & Mundi commoditate frui.
Utque frui poſſis, meus eſt tibi *nervus* ad uſum.
Delicias omnes *Opticus* ille refert.
Ah dolor! Humani compacta in corporis artus,
Haud ſecus ac tetro carcere clauſa lates.
Triſtia præſentis toleras faſtidia vitæ:
Et pateris tenebras deteriore ſitu.
Viſus adeſt, aperítque fores, mœſtúmque timorem
Diſcutit, & magnâ tædia parte levat.
Ah, quoties longa noctis caligine merſa
Optâſti reducem, me reſerante, diem!
Ah, quoties, cùm jam caneret criſtata volucris
Nuncia Leucotheæ; me vigilare jubes!
Evigila, clamas: quàm longo tempore dormis?
Sat ſomni nebulis eſt tenebríſque datum.
Vix igitur valuas pando tibi frontis eburnas,
Palpebráque abſterſo mota ſopore micat:

Pro-

'rotinus Auroram, me connivente, salutas;
Et gaudes spatio liberiore poli.
:ernis discursus, studia & contraria vulgi:
Quid vetus hic noster, quid novus Orbis agat.
:st aliquid, speculo, variarum & imagine rerum,
Captivam luctus fallere posse suos.
laventes spicis quis te deducit in agros,
Quæque superfusis prata rigantur aquis?
Inde dari, noscis distinctos floribus hortos,
Albáque purpureis lilia mista rosis?
Non tibi præstat idem nasus captator odoris:
Nec Gustus, nec qui Sensus in aure sedet.
His opto meritis in amici fœdera sumi
Ante meos fratres: si tamen æqua peto.
Equa peto: modò tu, sicut propiore ministro
Non gaudes; cupias non propiore frui.
An suspecta timens consortia mobilis astri
Moribus incipies indubitare meis?
Ne timeas noctem, quæ nil moderabile suadet.
Odimus hanc. obstat nox inimica mihi
Lumen amo: tenebras omnes odisse necesse est.
Bubones aquilis ni sociare velis.
Sidereas volucres genio sectamur & ortu,
Sint aliæ Veneris; sum Jovis ales ego.
Pone metus igitur. nobiscum virgo manebis,
A solo Visu nulla puella perit.
Annue: communis te per primordia vitæ,
Nec nisi per mortem dissocianda precor,
Per si quid dulce est, fuit aut unquam tibi mecum,
Scis tamen his oculis dulcius esse nihil.
Si quod in Ægypto Pharos optatissima nautis,
Tædifer in cymba corporis usque fui.
Tædifero nunc redde vices, tædámque jugalem,
Dicere jam liceat: *Sis mea, Simque tuus.*

Ambo felices: ego, quem cumulabis honore;
Túque, miniſterio quòd potiare meo.

VRANIA VISVI.

Argumentum

EPISTOLÆ SECUNDÆ.

PRincipio chariſſimum ſibi Senſum non inclementer habet. poſtea commemorat pericula Visûs: ingerit modum legémque ſancitam Naturæ: jubet denique ſua ſorte contentum eſſe. paſſim tamen per totam Epiſtolam jam laudat & demulcet; jam irridet & exprobrat.

Synopſis.

1. *Vraniam (Animam) non diffiteri præſtantiam & primatum Visûs.*
2. *Mirari tamen ejus, utpote oculati commercium cum cæco Cupidine.*
3. *Vnde igitur inſolitum amorem, dominandique libidinem conceperit?*
4. *Hortatur porrò Viſum, ut ſuas excubias diligenter ſervet. quid intus Domina agat ad ſatellitem non pertinere.*
5. *Oculorum quidem venuſtates, atque utilitates,*

tates, esse quàm plurimas; sed non minora neque pauciora pericula.

6. Multos per oculum perijsse.

7. Astruitur exemplis.

8. Lacrymas ex oculorum thesauro derivatas, fluere æquè ancipiti fama ac pretio: eosdémque flere, & flendi caussas dare.

9. Oculum Animæ præcipuum, non indui tunicis, nervis, humoribus.

10. Illo itaque mentis oculo videri, quæ Caro non sentit, per Lumen gloriæ.

11. Carneum tamen oculum non despici, intra servi conditionem, & obsequia submissum.

VRANIA VISVI.

QVam mihi misisti, geminatam reddo salutem,
Fratribus ô cunctis anteferende tuis.
1. Nam cur dissimulem reliquis præponere SENSUM,
Præcipuam cujus sentio semper opem.
Vive, vale, nostro precor omnia fausta VIDENTI:
Et puros soles, & sine nube dies.
2. Quo magis admiror fumare Cupidinis æstu:
Quem delectari non nisi Sole decet.
Cùm potior tua dos stet in hoc, ut lumina præstes:
Pársque sit officij prima, *videre* tui:
Quid tibi cum Nato Vulcani, & forcipe fabri?
Quam rem cum cæco, dic mihi, Visus habet?
3. Ecce, tuis votis etiam natura repugnat,
Quod cupis, adversum est. vis; quod habere nequis.
Lurida prô nitidum præcingunt nubila Sensum.
Nescio quas tenebras, hospes an hostis, amas?

Non eadem lynci, quæ grata cubilia talpæ:
Non habitant uno nóxque diésque loco.
Nec bene conveniunt oculatus & ætheris expers:
Idem Tiresias, & simul Argus eris;
Eijce, quas oculo putri spes pascis inanes.
Contentus propria conditione mane,
4. Assignata tuis frons est, non pectus herile
Usibus ulterius quid petis ergo mei?
Pectore se ponunt Animæ stratóque locantur.
Interior nullis Sensibus aula patet.
Hoc velut in thalamo servum renuente quiesco.
Limina defendas exteriora domûs
Impiger observa, ne proditor otia turbet.
Commissas lictor sta vigil ante fores.
5. Nec tamen irascor, quòd ames. quis amare vetabit?
Dummodò sit castus, non vitiosus amor.
Hoc quoque enim dubito nam quid temerarius ambis
Nil potes in Dominam Juris habere tuam.
Tecum blanditiæ, tecum sunt mille lepores.
Cur totidem fraudes, junctáque damna files?
Lene supercilium Cyprios declinat in arcus:
Unde jecur figens, torta sagitta volat.
Grandibus, atque comâ majoribus, incubat ingens
Sæpe superciliis fastus, & horror inest.
Laudatæ quæcunque refers præconia formæ,
Ostentare potest non minùs illa culex.
6. Est structura quidem, fateor, mirabilis. omnes
Attonitos reddit Numinis istud opus.
Vix tamen inficiunt aliud; vel atrociùs urunt
Æmoniæ matres, Thessaliæque nurus.
Fascinus infamat: corrumpit dira libido:
Inquinat impuro sanguine turpis anus.
Jam quòd pelliculas tunicarum nomine jactes;
Non debes nimiùm complacuisse tibi.

Has

Has propter tunicas, *tunicâ* quandoque *molestâ*
Mœchus Templorum plectitur ante fores.
O quoties ad turpe nefas discinctus adulter
Debuerat simili non nisi veste tegi.
Sit tibi præterea pupillæ nobilis *uva*:
An non Autumnus letifer inde fluit?
Quando propinavit sese *Juditta* videndam?
Expressa est oculis mustea forma nocens.
Ebrius hoc musto, velut à vertigine, Princeps:
Ebria turbati mens *Holofernis* erat.
Ex facie infusi tantum bibit ille decoris?
Ut rueret titubans, evomerétque animam.
Quod loquar obscuris perplexa ænigmata verbis;
Hoc facio, mihi si credis, amore tui.
Ne sim dura tibi quantum licet, abdita celo
Crimina, vulgatum diminuóque malum.
Atqui vera loqui me scis: & scire fateris.
Publica sunt nullis inficianda modis.
Nec culpo *humores*, quibus uteris; hos tamen ipsos
Caussam naufragio sæpe dedisse queror.
Submersit plures oculi *crystallinus humor*,
Quàm mare, & Hesperijs concitus Auster aquis.
7. At, tua quæ fraus est, præcépsque audacia; solo,
Scribis, ab aspectu nulla puella perit.
Dina tamen perijt, *Sichénque* imbellis amator:
Ille suis oculis captus, & illa suis.
Lumina *Samsoni* meretricis lumen ademit.
Abstulit immeritam *Dalila* visa comam.
Perdidit & vires unà fortissimus Heros,
Pellicis infami forfice tonsus Heræ.
Quàm bona res oculus simplex, sanctéque pudicus;
Tam mala lascivus, nequitiáque salax.
Hic & *Iessida* transfixit pectora telo;
Et *Ducis Assyrij* sustulit ense caput.

 Ar-

Argivos Patriæ *cæcus* non intulit ignes:
Aut certè ſolo cæcus amore fuit.
Sed neque,quam rapuit, ſecúmque ad Pergama duxit
Priamides, legitur lena fuiſſe myops.
Vt vidi, ut perij, clamat miſerabilis Exul;
Juſſas ad Euxini littoris ire fretum.
Se quoque ſpectantem *Narciſſus* fonte peremit.
Uſque adeò & falsò lumina viſa nocent.
Arte regendus equus: ſed non minùs arte regendus
Viſus; ab indomito nil alienus equo.
Palpebra pro freno datur, ut moderamine certo
Clauſa modò aſtringat; laxet aperta modò.
Hoc uti quoniam neglexit *Alipius* olim:
Fertur in Auſonio penè periſſe foro.
Cùm furerent ſævi, Circenſia publica, Ludi:
Prodigerétque ſuas Roma cruenta neces:
Sedit, ſpectavit: mox & *clamavit* & *arſit*:
Bellua cum viſis factus & ipſe feris.
8. Si tibi theſaurus lacrymarum eſt creditus uni:
Fortè unus cauſſas, cur lacrymeris, habes.
Ex oculis cædes, incendia, bella, rapinæ,
Monſtráque luxuriæ ſanguinolenta fluunt.
Tam notum eſt: animas oculi prædantur amantes;
Quàm notum eſt: *oculi ſunt in amore duces*!
Sint utinam & vitæ, qui mortis ſæpe fuerunt.
Unde hauſtum eſt virus, profluat inde ſalus.
Noſcitur ex vultu plerumque domeſticus hoſpes:
Noſcitur ex ſtellis vultus & ipſe ſuis
Ah, niveæ quoties inter duo ſidera frontis,
Stella nocens Veneris currere viſa fuit!
Ergo per faciem rivi ducantur aquarum.
Turbida laxato flumina fonte ruant.
Ite, quis arcebit? quot ſtant in vertice crines:
In pectus ſcatebris tot fluat unda novis.

Ida

Idalias alijs flammas reſtinguite thermis,
Quàm quas Baiano littore fundit humus.
Salſa placet Superis placandis victima. Salſæ,
Dulcia quæ purgent furta, petantur aquæ.
Pupillæ quoties philtrum fatale biberunt!
Egerat hic medicus blanda venena liquor.
Quid tamen egereret? nihil eſt fallacius imbre,
Qui fluit ex oculis: aridiúsque nihil.
Nam quis jam lacrymæ fidat? Simulare docetur:
Quódque eſt deterius; jam ſimulare docet.
Illâ nil citiùs medijs areſcit in undis.
Tantalus has æquè non bene prendat aquas.
Conjugis effertur funus, comitante marito;
Flere putes: ficto riſus in ore ſalit.
Luditur alternis vicibus Comœdia fallax.
Deplorat functum Fulvia mœſta virum.
Sciſſa genas, adaperta ſinum, percuſſa lacertos.
Tota madet facies: luctus in ore gemit.
Et tamen. (ô Manes.) horâ levis uxor eâdem,
Qua plangit, dici jam nova nupta poteſt.
Atra priùs, ſubitò candet. nova flammea ſumit.
Gutta nec eſt fletûs lugubris ulla ſuper.
Qualis anas, ſtagnum longo tenus abdita collo
Immergenda ſubit, perluitúrque caput:
Vix egreſſa vadis, jam toto corpore ſicca eſt:
Et lævis nullo penna liquore madet.
Flevit, & Hypſipylem flendo decepit Jaſon.
In Lemno madidus, Phaſide ſiccus erat.
Troius Oenonæ quondam juravit amator
Per Paridis lacrymas, per lacrymáſque Parin.
Idem deceptor ficti poſt oſcula vultûs,
Oenonen potuit deſeruiſſe Paris.
9. Nec moveor tantis quas dotibus ipſe recenſes:
Quamvis his movear; nec tamen ipſa nego.

Multa quidem, par óque capis ſpectacula nervo.
Sed fugiunt Senſum plura videnda tuum.
Tu pecudum ritu tantummodò corpora cernis.
Altius ô quanto MENS mea lumen habet!
Subtilis, velox ego ſum: leve ſimplicis auræ
Fulgur: & æterni proxima imago Dei:
Non potes obductum nebulis tranſcendere Cœlum:
Fulget ubi FACIES invidioſa nimis.
Non potes Aligeras acies, ſine labe vagantes,
Obtutu GENIOS interiore ſequi.
Divinas penetrare nequit tua pupula fibras:
Intendat ſeſe quamlibet omne jubar.
Cogitur, ut nolit, contentus quisque manere
Materiâ ſphæræ conveniente ſuæ;
Sors tua terreſtris; nec plenè excedit opacum.
Ruſtica concreto pulvere gemma nites.
Sors tua mortalis. quid eris tellure ſepultus?
Nempe lacertarum denique paſtus eris.
10. Aſt ego nec Fatis, nec debita triſtibus umbris,
Poſt mortem primùm luce micabo mea.
Exſpectata ſimul me transformaverit in ſe
GLORIA: quod tempus non procùl eſſe reor.
Aſpiciam *Numen Summum* ſine fine Beata:
Quale ſuo *Immenſum* de *Mare* fonte fluit.
Tunc verè meritura decus noménque *Videntis*
URANIE liquidæ Filia lucis ero.
11. Ergo cave æqualem Dominæ depoſcere ſortem.
Finio. reſponſi ſumma ſit iſta mei.
Quos habeo famulos, dedignor habere maritos.
Impar conjugium non bene firmat Hymen.
Me penes eſt Senſus ſceptri dominatus in omnes.
Haud patiar, ſervos ſcribere jura tori.
Si tamen admittis leges mentémque Clientis:
Non *oculus* tantum; noſter OCELLUS eris.

Sin

Sin aliter sentis; pergísque rebellis, & acer,
Et vagus, erronum more, nocere mihi.
Lucia fortis ero; frontémque haustura profundè,
Effodiam rapidâ lumina bina manu.



SYMPHORIANVS CINNA PICTOR URANIÆ.

Argumentum EPISTOLÆ TERTIÆ.

POst Visum ab Urania despectum, explosúmque procedit ejus juratus Minister, Cinna Pictor, in medium, imaginum curiosus artifex; & insatiabilium Oculorum bellus nutritor. Hic enimverò artis suæ conscius, Uraniam audacter in Sponsam petit, per Epistolam hanc, potiùs Pictam, quam scriptam.

Synopsis.

1. *Cinnæ Pictoris benevola insinuatio.*
2. *Artis pingendi inventio digna: Dignitas, antiqua: antiquitas veneranda.*

3. *Ipſam Naturam pictricem eſſe.*
4. *Pictorum Ars liberalis. Academiæ celeberrimæ.*
5. *Pictores Itali.*
6. *Alberti Dureri, Germani, Norimbergenſis LVCRETIA, Monachij, Metropoli Bojorum, inter cætera viſenda.*
7. *Chriſtophorus Schvvarzius, Pictor Germanus, Monacenſis Bojus.*
8. *Penicillo quoque triumphante gloriari poſſe & feminas.*
9. *Pictorum decora & divitiæ.*
10. *Petri Pauli Rubenij, Belgæ laudes, & opes.*
11. *Pictorum beneficio, mortuos quoque etiamnum vivere.*
12. *Victuram & Vranien, ſi in fœdus conſentiat.*

SYMPHORIANVS
CINNA PICTOR
URANIÆ.

1. CUjus verba legis tereti ſignata papyro,
   A veteri clarum ducit Apelle genus.
Non ſum tam vilem Fato damnatus ad artem,
   Fortunam ut cogar diſſimulare meam.

Effi-

Effigiem Pictoris habes. ne plura requiras;
Tantùm non loquitur, noſtráque verba facit.
Vivimus, URANIE. potes hac vel in icone vitam,
Flabráque pulmonis penè notare mei.
Pinximus ad ſpeculum. Quid agat, ſi quæris, Imago.
Aut deſiderium quod patiatur? *amat.*
2. Dum ne diſpliceam, quòd noſtram invenerit artem.
Paſtor, uti perhibent Lydius inter oves.
Quippe pedo ſignans projectam, reddidit umbram
Lanigeræ pecudis: juſtáque forma fuit.
Non eſt dedecori mihi paſtoralis origo:
Nec lucem ex umbris elicuiſſe pudet.
Paſtor erat Moſes Soceri Raguelis in agro:
Quem ſimilem meritis, quem dabis ore virum?
Paſtor & Obedides: is, qui juvenilibus annis,
Proſtravit fundâ te, Goliathe, ſuâ.
Paſtor & ille fuit; dubiam tres cujus in Ida
Iudicio formam ſuppoſuere Deæ.
3. Aſpice roriferis ſuſpenſum nubibus Arcum:
Occidui pictum nobile Solis opus.
Quid ſunt graminei, niſi picta tapetia, campi?
Iſtorum Zephyrus floridus auctor erat.
4. Non ego, ut artifices alij, ſum portio vulgi:
Nec mea communi digero fata tribu.
Reſpuimus nomen vilis triviale Magiſtri.
Principis hic titulum, qui bene pingit, habet.
Diſcimus exemplo veterum ritúque Sophorum.
Multáque in hunc finem clara Lycea patent.
Floret apud celebres non una *Academia* Belgas:
Floret in Italia, totáque Roma fovet.
Conveniunt Itali, ſtatuúntque ante ora Senatum.
Gallus, Iber, Scotus, Teuto, Britannus adeſt.
Hic & *Parrhaſij* renovant fallacia vela,
Picta tumet botris *Zeuxidis* uva novis.

Hic

Hîc se *Nicomachus* profert, aliúsque *Nealces*:
Et sonipes picto vivus adhinnit equo.
Timanthis gladio fossus monstrabitur Aiax:
Procumbet passis Iphigenia comis.
Alterius genium ductúsque examinat alter:
Ipsáque censuram *Linea Coa* subit.
5. Sic tandem excolitur, nomen qui grande mereri
Gestit, & æternum conciliare decus.
Ut sileam priscos: nullùm non protulit ævum
Illustres aliquot conspicuósque viros.
Quorum Posteritas cineres quoque sera veretur:
Relliquiásque sacri muneris instar habet.
Angele tunc *Michaël* famose taceberis Urbi:
Cùm perdet linguam Roma diserta suam.
Tot poni *Rathaël Vrbinas* dignus in aris;
Quot positas ejus nomine fama canit.
Palma: tuæ semper Judittæ palma virebit:
Dum stabit Veneta Marcus in Urbe Leo.
Secula *Bassano* similem non multa tulerunt.
Majorem, credo, Secula nulla ferent.
Functorum monumenta satis vel muta loquuntur;
Quæ monumenta tua sint, *Titiane*, manùs.
Quamvis *Zuccatum* subduxerit Atropos Orbi:
Clarus adhuc hominum viva per ora volat.
Bellino debet Gonzagæ Julia formam:
Qua vultus Helenæ vincere visa fuit.
Quid *Caligarettum Tindorettúmque* sagacem,
Cúmque *Trevisano* te, *Mutiane* loquar?
6 Ætas ALBERTUM DURERUM nulla silebit.
Dum Mosa, dum Rhenus, Danubiúsque fluent.
Noricus hic omnes illo discrimine vincit:
Ars à Natura quo superata latet.
Uxorémne tuam vis, *Collatine*, videre?
Urbem, quam MONACHUS nomine monstrat, adi.

Aut

Aut hodiéque poteſt dici *Lucretia* viva:
Aut tua, cùm nupſit, ſic quoque picta fuit.
Ergo etiam pingi vivam potuiſſe, fatendum eſt;
Sit licèt unius viva coloris ope.
Vel certè falſum eſt, talem vixiſſe puellam,
Libera quæ moriens concidit enſe ſuo.
Hæc ſi Tarquinio rurſus ſpectanda daretur;
Cogeret ad ſævum rurſus adulterium.
Illa videretur mucrone reſolvere pectus
Velle; probrum caſtâ fortiter ulta manu.
Concolor ex picta poſſet *Lucretia* naſci,
Eſſet Dureri ſi quis in orbe gener.
A ſonitu vocis vox ut geminata reſultat;
Effigiem pareret ſic licèt umbra ſuam.
7. Tu quoque non minor es ſummis, gemmáque notan-(dus
Inter Boiugenas candidiore, NIGER.
SCHWARZIUS in paucis felix, ubi Principis Aulæ
Mœnia vicinis Iſara plangit aquis.
Pictorum potuit, Naſarenæ Virginis ora,
Suaviùs ex omni ducere nemo choro.
Tanquam ſi præſens cœlo delapſa ſereno,
Ora propinâſſet, ſidereáſque genas;
Ac ſi *sediſſet*, porrexiſsétque labella,
Et frontem, & Pueri baſia veſca Dei.
Omne tulit punctum NIGER hic, dixêre periti.
Inter cenſores, CANDIDUS ipſe fuit.
Contulerant alios? non æquavere vel ipſi
Qui ſuperant alios! tam lepor omnis ineſt.
Aſpice: ſunt hujus veri, non hujus, ocelli!
Hæc facies viva eſt: iſta cadaver olet.
Cura dolórque procùl. DIVINUS PUSIO verè
Ridet & halanti ſubſilit ore roſa
VIRGO, tamen Virgo eſt, & vultu MATER eodem.
Ex illo ſcires non ſterilem eſſe Deam.

Sed


Sed nil matris habet luctum redolentis, & Evam:
Nec tamen & vacuum Virginis uber habet.
Miſcet utrumque color. genitrix & virgo reſultant.
Hæc peperit Numen: neſcijt iſta virum.
8. Jámne vides, Artis quæ ſit præſtantia noſtræ.
Nec decus artificis vilius eſſe ſcias.
Quin & feminei fuerit non ultima ſexûs
Gloria: cui laudi pingere poſſe datur,
Peniculo, vel acu: ſicco madidóque colore.
Inferior tamen eſt penſa trahentis honos.
Marcia Varronis, Miconis *Timareta*, Cratonis
Irene, titulos hinc habuêre ſuos.
9. Sed neque opes deſunt: nec quam commixta colores
Temperet, auriflui deficit unda Tagi.
Unus ſæpe Puer pharetratus & aliger, ære
Immenſo ſtabit; Tyndareúmue caput.
Augetur pretium cenſendo: exaggerat Auctor,
Lætior hac vita eſt! ditior eſſe poteſt!
10. Exemplum noſtri ſit Belga RUBENIUS ævi,
Ingenio felix, divitiíſque potens.
Antè ſuas *Scaldis* revocabit corniger undas
In caput, & retrò fluminis agmen aget:
Quàm damnet tenebris, & adhuc memorabile nomen
Rubigo tanti deleat ulla viri.
Ut Jovis ex almo Cerebro Tritonia Pallas
Proſilijt, ſolo Filia nata Patre:
Sic varias proprio formas è vertice fudit,
Et quaſi progenuit corpora Mente ſuâ.
Eminet ex tabulis, & anhelat truncus, & Icon
Clamat, ſe natam Deucalione novo.
Scilicet hic lapides projecit, & iſte colores:
Refert in jactu, ponè vel antè, nihil.
Conſurgunt utrinque homines animantur, & extant.
Membra lacertoſos poſſe movere putes.

Atque

Atque hic eſt Pictor, qui teſtamenta reliquit
Regia: cui cenſus Perſica gaza fuit.
Pranſus in argento, laticem ſumebat in auro.
Sed de communi non erat ille latex.
Maſſicus influxit, ſeu preſſus vite Falerna:
Vel minimùm prælis, Rhene jocoſe, tuis.
Ecce: vehebatur latè per compita curru:
Si non Heſperij terga premebat equi.
Finge novem Muſis operatum: finge ſecutum
Nomen, & armati caſtra fuiſſe Ducis:
Tránſque peregrinos tractus ſulcâſſe carinis
Æquora: non tantas accumulâſſet opes.
11. Si ritè expendas; (Manes & funera teſtor,
Et Dea, cum Parcis te, Libitina, tribus:)
Terrigenûm debent nobis tot millia lucem,
Quæ jam perpetuâ nocte ſepulta forent.
Sæpe patrem gnatus nunquam vidiſſet ademptum
Poſthumus; aut matrem filia rapta ſuam.
Pictor adeſt: quáque arte valet, ſuccurrere gaudens
Naufraga Lethæis eripit ora vadis.
Per nos Heroum ſpirat ſub ceſpite virtus:
Sparſa licèt multo ſanguine terra premat.
Tillius occubuit: ſed enim poſt nobile vulnus
Vivit in effigie non minùs ille ſua.
Guſtavum poſitâ *Suecum* Mors abſtulit haſtâ:
Pugnantem gladio picta tabella refert.
Sic tenuit ferrum: Sic arma ferebat *Adolphus*.
Nimirum noſtrâ ſic tulit armâ manu.
Quæ Lycius rapuit campus, nos reddimus illi.
Arduus in noſtro Fata triumphat equo.
Mulceat in primis teneras pictura puellas:
Nam formæ fragili ſubvenit illa bono.
Deſtruit hanc penitùs Lacheſis, vel deterit ætas.
Noſtra reſiſtendo frangit utramque manus.

En

En, hæc *Eugenia* est *Isabella*, virilis Amazon:
Demisit faciles cui Leo Belga jubas.
Ista Palatini *Constantia* Principis *Anna*:
Hæc Ducis Alberti Clara *Renata* fuit.
Eheu! *Cæciliam* fixit Mors Sarmata telo.
Perdideras oculum tunc *Marianna* tuum.
Quam *Leopoldinam* lugebat Cæsaris Aula,
Si cupis in primo flore videre, potes.
Sic Jovis Austriaci fulsit pulcherrima Juno:
Purpureum petijt cùm generosa torum.
12. Et tua, si nostram non aspernabere concham,
Effigies dabitur conspicienda foro.
Est aliquid, digito monstrari in imagine posse,
Desuper adscripto carmine: *Talis erat.*
Cum Fama multas ibis spectanda per urbes:
Credenda à populo prætereunte Dea.
Sive Themis digressa Polo: sive una sororum.
Quam putet applaudens esse Thalia suam.
Sive aliqua illarum, quæ aversæ terga renident,
Altera in alterius mutua nexa manus.
Tu potior pingi: tu dignior omnibus illis.
URANIE Charis est, pro tribus una triplex.
Non Clytie Phœbi, non te Babylonia Thisbe,
Pulcrior in terris non Atalanta fuit.
Hippomenes si te videat, *Schœneida* temnet.
Hippomenes oculos non tamen unus habet.
O nova Schœneis, *ver Schœneia Virgo.*
Nomine quo pulcras Gens Alemanna vocat,
Per te, pérque tuum, Schœneia Nympha, decorem.
Qua forma gaudes, utere: CINNA rogat.



URA-



SYMPHORIANO CINNÆ PICTORI.

Argumentum EPISTOLÆ QUARTÆ.

URania non multis cunctatur: ſed rotundè abnegat petitum conjugium. Denique vitia pleriſque Pictoribus communia in medium profert, & ſugillat. quibus vel ſolis prudenter expenſis, nubere meritò detrectet.

Synopſis.

1. Vranie prima blandimenta Cinnæ Pictoris irridet.

2. Simio Naturæ nubere detrectat.

3. Quid enim PRINCEPS COLORATUS, vanum Artis vocabulum?

4. Vraniam non moveri præconio formæ: quod adulatoria vanitate dediſſet. Se nec Atalantam, nec Schæneiam eſſe. Nomina Teutonum invidioſa refugere, in aucupium pudicitiæ propoſita.

5. *Symphorianum Cinnam jactâsse quidem Italos, Germanósque artifices: quos inter tamen ipse nondū ponatur. quo verò posito, frustra nihilominùs sollicitari Virginem, jam majori Domino desponsam.*

6. *Insuper constare vulgo pictorum plurium paupertatem minimè* coloratam: *cujus famæ discrimine nupturæ meritò terreantur.*

7. *Ipsum CHRISTOPHORUM SCHWARZIUM, quem tantopere commendâsset, Pictorem eximium, pauperem ad extrema deductum, in extremis obiisse.*

8. *Paucos dari RUBENIOS Belgas; ingeniosos, gnavos, industrios, sobrios, divites: plerosque vino, aleæ, otio deditos, artem suam in tabernis consumere.*

9. *An Pictorum ACADEMIÆ, suum nomen tueantur?*

10. *Multos quidem vitâ functos, beneficio artificum in oculis hominum vivere: sed & eorundem maleficio, verum Deum, ex hominum memoria propemodum sublatum esse. unde n. Idololatria originem duxerit, patere ex lib. Sap. c. 14. & 15.*

11. Cæ-

1. Ceterùm Apellæis ingenijs atque Lyceis plerumque nihil esse lascivius.

2. Hæc pudoris damna, non satis compensari paucitate imaginum, Castitati famulantium.

3. Parceret proinde effigiem Vraniæ collocare in publico. nullam Virginem prostare.

4. Et verò collocari quî possit? Animā Pictorum coloribus non esse obnoxiam.

5. Denique Cinnam non aliter placiturum, quàm si pingat Sponsum sanguinum. *Exod. 4. 25. cui ipsa nupsisset.*

URANIA

SYMPHORIANO

CINNÆ PICTORI.

NUncia secreti venit mihi littera voti,
Ausa colore meam sollicitare fidem.
Miror: & effigiem transmissam, nescio, cujus
Esse putem: varij Proteos, anne proci?
Improbe, quid sibi vult hinc sparsus & inde character?
Qualibus Ægyptus mystica sensa notat.
Scimus, quò spectent emblemata: dextera dextræ
Consita; cúmque suo compare turtur: *amas.*
Hoc sanè liceat: dum me tamen oderis unam;
Quamlibet ex alijs insipienter ames.

2. Simia miſſa quoque eſt, & cercopithecus,& ales
Diſcolor, Eoæ pſittacus erro plagæ.
Muneribus viſis, quibus exæquanda rependam!
Agnovi genij ſymbola certa tui.
Scilicet humanos mores imitantur ut illi;
Et riſum, mimo ſubſiliente, creant.
Sic tu Naturæ dum callidus exprimis ora;
Ejuſdem dici ſimia vera potes.
3. Haud equidem invideo,quòd *Princeps* lege receptâ
Diceris. hæc artis gloria prima tuæ eſt.
Si tamen admittis, nomen tibi dignius edam.
Majus adhuc virtus conciliare poteſt.
Diſce priùs caſtis tua pingere moribus ora:
Diſce priùs placitis non inhiare bonis.
Non tantùm modicus Princeps, ſed major Ibero
Rex eris. hunc titulum, qui bene vivit, habet.
At nondum appares ſceptris regalibus aptus.
Qui ſervit vitijs, quomodo liber homo eſt?
Cui Puer inſultat Paphius: quem verberat arcu,
Colláque captivi ſub pede preſſa tenet.
Nam quibus illecebris incautam fallere leno
Niteris, & blandis illaqueare dolis?
4. In me tanta quidem ſpargis præconia formæ;
Poſſet ut auditis ipſa Diana rapi.
Jam ſum *Schœneus*; jam ſum *Schœneia* Virgo:
Jam neque Teutoniæ pulcrior ulla Dea eſt.
Quæ tam dura ſilex iſtis inpulſibus obſtet?
Nec mihi ſtat rigido cornea fibra gelu.
Ambiguos ſenſi concuſſo pectore motus.
Immeritas etiam laus violenta trahit.
Et cur reijciam, quod donat idoneus auctor?
Si ſum, cur faveam non *Atalanta* mihi?
Sed, qui ſic laudat, mercari velle videtur:
Ac pretium linguæ me petit eſſe ſuæ.

Erg

Ergo tibi videor deludi posse puella,
Cyprigenæ pomis, te jaciente, datis!
Curras, stes, sedeas: pingas, fingásve, licebit.
Nec meus Hippomenes, nec paranymphus eris.
Commendas alios, atque inclyta nomina profers
Scimus, & Ausonijs civibus illa patent.
Bellini, Palmæ, Titiani, pagina fiunt:
Romanus *Michaël* cum *Raphaële* suo.
Ultima, mi bone vir, de te fit quæstio. quales
Exprimis auctores? quos imitaris avos?
Laudatur Durerus. ego quoque laudo. quid ultra est?
Scilicet ut simus *Symphoriane,* pares.
Fortibus ut factis æquemus fortia verba.
Nullum majorem laus aliena facit.
Tu quoque Judittam, Gonzagiadésque venustas
Pone sub aspectus: Angelus *alter eris.*
Quid te Dureri *Lucretia* clara per Orbem;
Quid *Caligaretti* glauca Minerva juvat?
Si pro Cassandra Xanthippen pingis anilem:
Quam neque Censores, Socratis esse putent.
Amphora si calamo signatur, & urceus exit,
Próque lupo vulpes, próque leone canis.
Si nescis aliud, quàm vel *simulare cupressum*:
Vel pavidum leporem, setigerúmque suem.
Dic: quoties de te, *Fecit, Faciebat*, in Urbe
Cantatur? quota fert nomen imago tuum?
Cujus in aulæis, cujus monstraris in aula?
Quis dicit: *Tantum Cinna peregit opus.*
Sed nihil infirmo. neque enim quia nescio multa,
Compertum est ideò, te quoque scire parùm.
Fac modò me gnaram, tabulásque ostende: favebo
Laudibus ante alios quoslibet ipsa tuis.
Jámque tibi faveo. plura ac majora requiris?
Esse utinam posses, *Symphoriane,* meus.

At meus esse nequis. voto est aliena voluntas;
Promissámque sibi me tuus alter habet.
Ditior hoc non es, promas licet omne metallum;
Quantum Pactoli ripa Tagísque vomit.
6. Pace tua dicam: modica est opulentia vestræ
Artis; & innumeri, qui celebrantur, egent.
Vidi pannosum quandoque incedere Apellem;
Pro lauta vacuum qui dape sumpsit olus.
Quamvis penderet pictis onerata canistris,
Artificis mensam pauperis ante Ceres,
Vidi corrosum gnatis apponere panem.
Mandebant farris mucida frusta nigri.
Plorabant pulli: mater miserabilis unà.
Nil facit ad stomachum vanus inópsque color.
7. SCHWARZIUS ipse tuus, famâ usque ad sidera notus;
Qualem laudâsti, Cinna diserte, mihi:
Iro pauperior tandem decessit. in arca
Dicitur argenti vix habuisse scobem.
Fertur adhuc hodie naulum debere Charonti.
Defecit miserum nummulus iste, *triens.*
Penè, quod ad pheretrium lacrymas excussit inanes,
Exequijs caruit flebilis umbra suis.
I nunc, & jacta centum sestertia. frustra
Ad Scaldim caussam magnáque dicta crepas.
8. Nam quotus est isto labente RUBENIUS ævo?
Aut quis, qui micas colligat hujus, erit?
Rara avis in terris. peregrini veris hirundo
Tempora præveniens, hic, puto, Belga fuit.
Ille quidem meritos opibus cumulavit honores.
Quæ poterant *Hominem* nobilitare *Novum.*
Sed magno ex numero primus monstratur & unus.
Squallet, & in trivio cætera turba jacet.
Hîc quoque, *non cuivis contingit adire Corinthum,*
Esse reas vetum, quod *Venusinus* ait.


Vive Midæ Cræsíque bonis digniſſime paſci.
    Poſſideas omnes Pygmalionis opes.
Sed *madidos* vita *fratres*, quia cuncta veremur.
    Vitanda eſt ſocijs crebra popina tuis.
Egregium hoc hominum genus inſanabile, ſemper
    Potat, & aſſiduo proluit ora mero.
Tot ſunt frugales fortaſſe, quot oſtia Nili.
    Ex centum, ſeptem vix reperire queas.
Malunt ex vitro rubrum ſorbere colorem.
    Commiſſus lino ſicciùs ora rigat.
Spernitur in muro plantata à Zeuxide vitis,
    Gratiùs ex verâ vina bibenda fluunt.
Ergo diu noctúque tenent ſpumantia muſto
    Pocula; qua fuerat concha tenenda manu.
9 Italicæ quò fama Scholæ? Stoa veſtra lupanar
    Rectiùs, aut pecudum mandra vocanda foret.
Nota lues: nullos pictoribus atque poëtis,
    Majores fædæ Cypridos eſſe popas.
Tot Veneres Veneri, frontes ſine fronte pudendas
    Immolat amborum, corpora nuda, furor.
Sunt qui nil aliud chartis inducere poſſunt
    Præter Hamadryades, cum Satyríſque lupas.
Hìc ponit veſtes: hìc Salmacis Hermaphroditum
    Implicat, ex illo femina mollis aqua eſt.
Venatur virides Pecoris Deus, ecce, Napæas.
    Hoc ſtat, ais, centum millibus artis opus.
Non ego dem ſeptem nummos. inſumere gazam,
    Atque oculum tanto paſcere, ſtultitia eſt.
10. Ut bene de vivis fatear functíſque mereri:
    Culpa tamen multos non facit una reos.
Vana ſuperſtitio per vos increſcere cœpit:
    Dijs quoque ſacrilegis eſt patefacta via.
Primus in orbe Deum ſtatuit Timor, impius illum
    Primus item Pictor ſuſtulit arte ſua.

Innumeros finxit falſos, verúmque removit,
Fingendi cauſſam mors inopina dabat.
Fortè patri gnatus Fatis præreptus acerbis,
Aut matri Soboles occidit ante diem.
Ille leonis atrox inſtar furit, illa leænæ.
Deflebant catulos orbus & orba ſuos.
Mitiget ut ſaltem tenuis præſentia luctum;
Funus adumbratur: Supplet imago vicem.
Defuncti effigies Laribus ſuſpenditur altis:
Paullò pòſt cultos inter habenda Lares.
Accedente ſitu, ſuccrevit gloria *Larvæ*.
Numen habebatur, quod neque nomen erat.
Huic caput inclinant: huic vina & thura miniſtrant.
Ponitur ad flavos plurima cera pedes.
Spicea ſerta gerens in imagine filia, dici
Poſt aliquot meſſes debuit alma Ceres.
Illius Gnatam, dum læta vagatur in horto,
Abſtulerat, rapta virginitate, procus.
Infremuit Genitrix. quia cara Proſerpina, picta eſt:
Credita in Elyſium denique rapta nemus.
Credita Plutonis conjux, Hecatéque triformis:
Matribus infernis exululata nurus.
Purpureus Juvenis, turgentíque uvidus ore,
Mortuus autumni tempore, Bacchus erat.
Hoc illi dederat, luſtris ter quinque peractis,
Artificis, curuâ falce putanda, manus.
Hinc tot falſorum proſtat jam turba Deorum:
Semibovésque viri, ſemivirique boves.
Saturnus, Janus, Liber, Silenus, Apollo:
Veſta, Thetis, Cybele, Delia, Iuno, Rhea.
Mercurius furtis gaudens, Cithereia ſtupris:
Marspiter arma ſonans, Iuppiter igne tonans.
O utinam formata Iovis cum fulmine primo
Obruta fulmineis eſſet imago rotis.

11. Atqui & virginibus, dices, ſacravimus Aras.
Laudo: nec inficias, maxime Pictor, eo.
Vidi Cæcilias: Agnes ſpectantur & Agnus.
Calcat Thecla feras, & Catharina rotas.
Sed vidi in veſtris Erycinam ſæpiùs aris;
Quàm Divam Coſto Pallada rege ſatam.
12. Plura pudicitiæ ſæva irritamina læſæ
Intulit obſcœnâ lubricus arte labor.
Suſannam quoties nudam violatis in horto!
Non poterant gemini quam violare Senes.
Ieſſiden ſemel una lavans fataliter uſſit.
Accendunt plures veſtra lavacra faces.
Semper, iô, ſemper vobis Diana lavatur,
Non ſatis eſt, viſam turpiter eſſe ſemel?
13. Forſitan & noſtram faciem committere vulgo,
Quæ tua libertas eſt maleſana, voles.
Deprecor indignans, quamvis hoc Tyndaris optet,
Proſtitui medio publica lena foro.
Contenta eſt oculis Superûm mea forma probari,
Illis ſi placeo, ſum ſpecioſa ſatis.
Caſta palàm refugit vultu quocunque videri.
Quo velata magis, pulcrior intus erit.
Si qua poteſt capitis ſacrum deponere peplum;
Huic quoque cum zona perdere ſerta, leve eſt.
Iam delibatur mediâ plùs parte pudica,
Cujus in aprico pendet imago loco.
14. Ut tamen ipſa velim faciem præbere colori:
Quid facies? viſum non ſubit iſte decor.
URANIE non eſt corpus, ſed corporis hoſpes
Spiritus *ætherijs ſedibus ille venit.*
Quomodo me pinges? cujus tibi nulla videndæ
Copia, ni claudus lumen utrumque, datur.
Virtus, eſt animæ verus color. hic latet intus.
Interiore ſinu conſpicienda meo.

15\. Hoc quoque, ſi neſcis, jam dudum eſt ille receptus,
Quem primum & ſolum dignor amore meo.
Illius effigiem veram mihi ſiſte: favorem
Non aliter certè, ſic meriture meum.
Pinge *Crucem*, qualémque tibi deſcripſero, querno
Stipite ſuſpenſum ſaucia membra virum.
Palleat: &, quoniam violæ color ornat amantes;
Accumules violas, quotquot habere potes.
Suffixus clavis, concretus ſanguine crines.
Sítque, ut ſit major, *nullus in ore decor.*
Bina premant *ſentes* & acuti tempora rhamni.
Quod caput amplectar, talia ſerta decent.
Vulnera per lacerum ſtillent immania corpus.
Ut ſunt, Quina tamen fac ſpacioſa magis.
Frange oculos: meliùs ſic integra lumina cernam.
Obſcura vultum: clariùs inde nitet.
Miſce & livorem: totus fuit una cicatrix.
Adde rubens oſtrum: fluxit, ut unda, cruor.
Cernuus in media nutet confinia mortis:
Immortalis ibi nam mea vita latet.
Hic *Meus* hic *Meus* eſt, quem ſtringo tenacibus ulnis,
Sponsus. abi Pictor. jam tuus alget Amor.





ALLONIUS PHISCO, MATHEMATICUS URANIÆ.

Argumentum EPISTOLÆ QUINTÆ.

PIctori Cinnæ ſuccedit Phiſco Mathematicus. Docti intra colorem & lucem, Viſûs Sphæram abſolvi putant. At hic quidem Aſtrologus procus, poſt immanem jactantiam *mirabilium ſuorum*, poſt munera miſſa, jam jámque ſperat Uraniam ſollicitatam, nuptialibus votis aſſenſuram eſſe. Sed Corbem, ſive *Craterem Sidereum* auferre jubetur.

Synopſis.

1. Magnificum, faſtuoſum Epiſtolæ initium. verbo: Mathematicum.

2. De Magnetico uſu artificiosè ſcribendi Epiſtolas.

3. Ma-

3. Matheſeos Dignitas, antiquitas.

4. Tycho Brache, Mathematicorum gloria, Danus, contemplationi ſtellarum affixus.

5. Ejus Vaticinium ad Tyronem Allonium, de Vrania Conjuge ducenda, ex aſtris ſumptum.

6. Mathematicorum mirabilia.

7. Speculum Archimedis Syracuſani, Siculi.

8. Novi Orbis inventionem Mathematicis deberi.

9. Mappæ Coſmographicæ.

10. Mathematicorum miracula, ſpectacula & Phænomena, Meteora: & neſcio quæ!

11. Calendæ, faſti: Mathematicorum Divinationes, Præſagia.

12. Dona Vraniæ oblata. Vitrum trigonum, aliáque ſecreta prodigioſa, ex Delicijs opticis.

ALLONIUS PHISCO
MATHEMATICUS
URANIÆ.

1. QUi trutinat montes, terram metitur & undas:
Concita qui ſiſtit flumina, pigra movet:
Qui pelagi numerat guttas, & ſidera Cœli:
Signáque Zodiaci per duodena meat:

Qui

Qui tempeſtates, Lunæ Solíſque labores,
Publica qui mundi prævidet antè mala:
Si ſinis Uranie, tantúſque ac talis Amator
Te ſalvere jubet, tempus in omne, ſuam.
2. Poſſem etiam magnetis acu mea figere verba:
Quo nullum ingenij clarius extat opus.
Utque lapis virtute ſua mirabilis ipſe eſt;
Sic noſtri Inventi ſuſpicienda fides.
Tango ſtylum: tactóque legas diſtantia longè:
Certior ad votum littera nulla venit.
Non tamen hunc lapidem mihi jam tractare vacavit.
Fortior ipſa trahis. vis tibi major ineſt.
Tu facis, ut ſcribam conſueto more procorum,
Pectoris, ô Magnes, conſcia gemma mei.
Ut rigeant ſolido conſtantia lumina ferro;
Noſtra *tuum* viſu cogis obire *Polum*
Huc contendit Amor remis velíſque profectus.
Altera non potior ſit Cynoſura mihi
Blanda fave cœptis, & in æquore dirige curſum.
Intrabit portum læta carina ſuum.
3. Optimus ut quiſque eſt, ſic addictiſſimus aſtris
Semper, & Aſtronomis, ac tibi, Virgo, fuit.
Per Reges numeramus avos. Chaldæa vetuſtas
Teſtis, & Aſſyriæ Perſia juncta plagæ,
Quóſque ad Bethlemias Sidus venerabile cunas
Duxit, odorifera de Regione, Magos.
Parthenope *Alphonſum*, *Ptolomæum* Memphis adorat.
Rex meritum ſtellis cinxit uterque caput.
Ambo gemmiferis hanc præpoſuere *Coronam*,
Quam tua ſideream frons, Ariadna, tulit.
Ad nos ſpectat *Atlas*, cœlum qui vertice fulſit:
Donec in Herculeo nobile ſedit onus.
Noſtri *Alpharabius*, *Manilius*, *Omar*, *Aratus*,
Euclides, *Proclus*. quóſque referre mora eſt

4. *Hipparcho* veteri præfert Florentia *Paulum*,
Tychonem Archita Dania tota suum.
TYCHO Mathematicæ *Classis* fuit ultima *Thule*.
Ultra nec clavum CLAVIUS ipse regat.
Sistendum fuerat doctis, ubi destitit ille.
Propterea *Thulen*, ultima claustra voco.
Hoc ego profeci *Sphæram* monstrante Magistro,
Unus præ cunctis iste Magister erat.
Ardua stat turris, stagno circumdata curuo:
Populeâ silvâ consita ripa jacet.
Huc ego tendentem, sublustri nocte, sequebar
Pervigil adjutor, continuúsque comes.
Tum verò innubi defigens lumina cœlo,
Cœlesti docuit me quoque voce loqui.
Protendénsque manus, en, PHISCO, ajebat *Orion*
Hoc gladio totam findere posset humum.
Cassidis en conum, cristásque ardore comantes!
Cingula quot bullis, ecce, superba micant!
Aspice sublimis labentia sidera Mundi:
Certa ut in occiduas lege vehantur aquas.
Ut quædam renuant, vel tardent æquore tingi:
Pleraque curriculo præcipitante ruant.
Circuit *Arctophylax*, *Helicénque* minaciter urget,
Sicca tamen mergi *Parrhasis ursa* fugit.
Ut rutilat *Pollux*, fratríque arridet amicè!
Idem, mutato nomine, *Castor* erit.
Lactis in Oceano remis propellitur *Argo*.
Stellifer *Eridanus* picta per arua fluit.
Plurima cognosces, verarum imitamine rerum,
Piscibus & varijs assimilata feris
En *oculum Tauri*, spoliúmque immane *Leonis*!
En *Aquilam*! placido mobilis igne volat.
Hæc avis arripuit Phryga, pincernámque futurum
Sustulit ad mensam, Juppiter, ungue tuam.

Au-

Aureus hic *Aries* Phryxi, qui perdidit Hellen.
Hoc est Europe trans mare vecta *Bove*.
Nonne vides *ignes* LUNAM stipare *minores*,
Ordine tam longo, quàm radiante viâ?
Hic præit, hic sequitur. credas agitare choreas.
Dispositos gyrat tam bene quisque pedes.
5. Talibus ostentis nos oblectare solebat.
Cimber, qui summus, Cæsare teste, fuit.
Credis & hoc nobis? Me contemplatus, & inter
Stellas *Erigonem, Andromedámque* videns:
Talis erit, dixit, vel Virgo simillima tali,
Olim quæ cupiet nubere, PHISCO, tibi.
Sic tua fert *Genesis* primóque *Horoscopus* ortu
Annuit, & blando numine mota Venus.
Huc ades è cœlo promissa ac debita Nympha?
Certè præ stellis omnibus una places,
Quò, nisi ad *Astronomum* vultus ASTRÆA reflectat?
URANIE proprij Nominis esto memor.
Quò, nisi ad URANIAM cœli vertatur Alumnus?
Admonet officij cura labórque mei.
Utque vides, paribus studijs retinemur utérque:
Inque vicem tibi me, te mihi jungit Hymen.
6. Indecoris nec te venturam in jura mariti,
Nupta Mathematico, degenerísue puta.
Invenies aliquem, visis qui dixerit astris,
Cùm Cœlum aspicio, quàm mihi sordet humus!
Arte meâ totum, modò pes stet in aëre fixus,
Terrarum à propria sede movebo globum.
Arte meâ summas ascendent flumina turres:
Rursus & in vallem præcipitata ruent.
Arte meâ, aligerum plumbum per inane volabit:
Sulphur inextinctæ lampadis unda vomet:
Arte mea Solem referet crystallinus orbis:
Qualis ab Eoo surgere fonte solet.

Arte

Arte meâ, vitro Siren inclusa natabit:
Atque lyram saliens Virgine ludet aquâ.
Arte meâ statuens numeratis regia saxis
Culmina tot dicam, saxa colossus habet.
7. Eminus ingentis succendam robora navis:
Æquoreque in medio fiet adusta cinis.
Nec tamen infartum pyrio tonitrale metallum
Pulvere, fulmineis exonerabo globis.
Opponam *Speculum* facili tantummodò flexu:
Non aliter, clypeum quàm Geta Thráxue suum.
Æris in umbonem convexum, flammea forti
Sole lacessitum rectáque tela cadant;
Collectos *centro* radios jaculabor in hostem.
Juverit urendas nec maris unda rates.
Nempe Syracusis se defendentibus olim,
Hoc Siculus civis fortiter usus erat.
Heu mihi, si solam te non accendere possum:
Et triplicis ferri in pectore frigus habes.
8. Virgo meis assuesce libens mitescere votis.
Tam mollem sexum non decet iste rigor.
At non & totum PHISCONEM ex carmine nôsti.
Plura tenet, paucis quàm numerare queat.
Christophoro videor mihi non minor, esse COLUMBO;
Orbem qui reperit perdomuítque *Novum*.
Præcessit tantùm: laudes non abstulit omnes.
Exæquet sumptus regia gaza: sequar.
Et sequar *Americum, Magellanúmque, Dracúmque*:
Quotquot sub pedibus nos habuere suis.
Sub *Tropicum cancri*, nudos veniemus ad Indos:
Semper ubi Meroë torrida Sole calet.
Nullam ubi, vel dextram tibi nunc miraberis umbram,
A læva capitis serpere parte tui.
Aspicies cristata suis capita alta sagittis.
Annulus inferitur naribus: ora tument.


Lum-

Lumbos præcingunt pennis. fert dextera clavam.
Herbarum ſucco pingitur uda cutis.
Rex horum aſſiduò radicem mandit odoram:
Quem, pro lectica, penſile rete gerit.
9. Quanquam non opus eſt, pedibus percurrere Mundum;
Aut longinqua cavâ puppe ſecare freta
Ne labor, URANIE, vel te via longa fatiget;
Cuncta ſub aſpectus unica *Mappa* dabit.
Coſmographus mecum te per compendia ducam,
Quæ neque Triptolemus novit, & ipſa Ceres.
Quamvis aligero ſerpente vehatur uterque;
Et volucrem currum ventilet aura levis.
Unius folij Liber, & non grande Volumen,
Exhibet immenſas totius orbis opes.
Clauditur hoc gyro; quidquid complectitur aër,
Quidquid terra parit, quidquid Olympus habet.
In tabula videas æquè, quo cardine cœli,
Diverſis jaceant maxima Regna locis.
Monſtrorum fecunda parens hoc *Africa* tractu;
Divitis hoc *Aſia* barbara terra jacet.
Oppida cum caſtris numerare licebit & urbes.
Coctilis hîc *Babylon*, hîc ſita *Memphis* erat.
Surrexere novi poſt diruta mœnia muri.
Euphrates, Tigris, Nilus, ut antè, fluunt.
Ultimus hoc barathro caput abſcondiſſe putatur.
Jam tantùm ſeptem brachia nuda patent.
Ecce *Palæſtinam*, Libaníque virentia terga.
Hic *Banda*, hìc mixtis eſt *Balaguata Syris*.
Cernis *Abiſsinos. Mardochos*, atque *Iavanos*?
Hic habitant *Cafri*: gens fera, ſiqua fera eſt.
Hæc elephantorum patria eſt: hæc ora camelis
Utitur. hîc frenis impediuntur oves.
China potens faſtúque ferox: numeroſus *Iapon*.
Florida nil ſpinas præter & arma parit.

En, decantata eſt hæc illa *Canaria* felix:
  Unde ſua excellens nomina ſumpſit avis.
10. Heu me! non Ludos, heu! nondum cætera dixi.
  Uranie, jam nunc pande, quod opto, ſinum.
Pegmata ſuſpendam nullo nitentia tigno.
  Nixa tamen jures: machina tanta crepat.
Armatis venient è nubibus, ínque theatrum
  Deſcendent prono corpore Martis equi.
Si volo, ſtat Templum poſitis immane columnis:
  Falſus ubi refluas Nereus egit aquas.
Vix oculum vertas: eadem ſtructura dehiſcet;
  Heſperidúmque recens fertilis hortus erit.
Ridebunt flores: ridebunt aurea mala
  Arboris: Uraniæ qualia vultus habet.
Vis, ut in Orcheſtram prorumpant plana viarum?
  Et fiat campus, quod fuit antè domus?
Nulla mora eſt: ſubitis mutabo frondibus urbem.
  Vua teget colles: veſtiet arua ſeges.
Silenus tardo curvus gradietur aſello:
  Et Fauni comites otia ruris agent.
Protinus, ad nutum, ſimulati germina Veris,
  Horrida momento depopulatur hyems.
Crinitum calvus Majum migrare December
  Coget: & in ſcenam grando nivéſque cadent.
Nonnunquam veros imitamur fulminis ignes.
  Inſternit canam ſaxeus imber humum.
Audiet ipſe Tonans, dicétque: hic nubis hiulcæ
  Eſſe ſolet ſtrepitus, cùm mea tela probo.
Efficiam, celeres ut libret lignea pennas,
  Ac volet occultis acta *columba* rotis:
Indicet ex auro fabrefactus *araneus* horas;
  Viſceráque in menſæ circinet orbe ſua.
11. Adijce jam dictis me proſagire futura.
  Vulgo fatidici numinis eſſe loco.

Dij ſumus in terris: neque nobis major Apollo eſt;
Intra cortinam mugiat uſque licèt:
Multáque ab Aonio ſpiret præſagia luco;
Concitet & ſacras Phocidos omnis aquas.
Nos paria audemus ſine motu fontis equini.
Nulla per obſcurum ſibilat aura nemus.
Spernentes *Tripodem*, ſolis innitimur aſtris,
Pendet ab his noſtri *Diphtera* vera *Iovis*.
Hinc derivamus monitus: arcanáque Fata
Monſtrant *Olenia* vellera viſa *Capra*.
Quid matutinæ dubitanda crepuſcula lucis;
Quid ſerus Veſper, nóxque ſoporque vehant.
Quid vacuo cornu, quid pleno nunciet ore
Luna: quid expallens, aut rubicunda genas.
Prælia ventorum, ventíſque tonitrua miſta,
Frigoráque, & madidos, vel ſine nube dies,
Signamus Faſtis. multò perdiſcimus antè
Ubertatis opes, bella, venena, famem.
Ex nobis ſterilis, vel opimus diſcitur annus.
Scita *Kalendarum* continet iſta *liber*.
Prædico: niſi, te, niſi me tibi junxeris uni:
Omine non fauſto cuncta ſiniſtra cadent.
Aſſenſum præbe: totus conſentiet æther:
Lætáque cantantes experieris aves.
12. Utque velis (utinámque velis) hæc ſplendida, noſtro
Quantumvis voto dona minora cape,
Quod referat varias, *Vitrum* tibi mitto *trigonum*,
Irides, & pictis atria plena roſis.
Apparent viridi pendentes aëre ſilvæ;
Hybláque cùm pratis, Coryciúmque nemus.
Florida in acclives cuneos tentoria ſurgunt:
Qualis & in tremulis flamma renidet aquis.
Colludunt beryllus, onyx hyacinthus, jaſpis
Multus ubique color, nullus & omnis adeſt.

Præterea donanda tibi debetur *Imago*.
Prima quidem facies, lurida, curua, minax.
Si plebs aſpiciat rudis atque ignara: Meduſam
Anguineis cinctam crinibus eſſe putet.
Admoveas oculum *puncto*: ſpectabis Adonin.
Acis erit, Sponſus, Siceli Nympha, tuus.
Me miſerum! noſtro nova ſi Galatea moveris
Nequidquam ingenio, difficilíſque manes.
Quid? quòd in abſtruſos rerum ſimulacra receſſus
Adriaco fundam qualiacunque *tubo*.
Plenus fuſilibus formis immittitur aër:
Qua cerebrum noctu Morpheus arte ſubit.
Protinus antipodes nanos objecta papyrus
Excipit. erectos altera charta refert.
Heu mihi! quòd nanus quoque ſe penetraverit unà,
Certa nimis figens tela Cupido puer.
Improviſus enim tacitas immiſcuit alas:
Et nunc in vacuo pectore regnat Amor.
Adijcimus *ſpeculum*, quod nos conflavimus ipſi.
Vix hoc cryſtallus clarior eſſe poteſt.
Utile, cùm Libyco diſtingues pectine crines:
Aut quoties formam conciliare cupis.
Inſuper, oppoſitum Soli, me luce reflexâ
Exhibet. ingenio diſce favere meo.
Hoc igitur, donec firment connubia tædæ,
Perpetuum noſtri pignus amoris habe.



VRA-



URANIA
ALLONIO PHISCONI
MATHEMATICO.

Argumentum
EPISTOLÆ SEXTÆ.

URania, poſtquam Aſtrologi faſtuoſam Epiſtolam perlegerat; puellari genio commota, faſtuosè reſpondet: & Mathematici delirijs, ſuperbísque & inanibus promiſſis feſtivè illudit, more Virginum inviſos procos explodentium.

Synopſis.

1. *Vranie Allonij Mathematici lenocinantis exſpectationi nequidquam reſpondet. miratur Thraſonicum ſcribendi modum, & jactantiam.*
2. *Admirabile ſpeculum, arrhæ loco miſſum, vitreum Amoris pignus, neſcio quo caſu ſtatim confractum eſſe fatetur: malo omine.*

3. *Suspectat ergo amorem mittentis tam fragile munus.*

4. *Sed & immanis Sapientiæ fastum, nimiámque artium congeriem.*

5. *Idem queri etiam multos Principes, à Mathematicis deceptos; sumptibus in ventum effusis.*

6. *Cùm omnia se novisse jactet; cur non & sponsam suam ex vero divinare possit?*

7. *Plurium Mathematicorum Fasti falsi, fastu veri; tamen inanes.*

8. *Asinum quandoque, Venatoribus tempestatem imminentem veriùs prænunciâsse auribus quàm Astrologum oculis.*

9. *Displicere quoque impietatem, monstra fabulosa Veterum in cælo observantium, & tantùm non adorantium.*

10. *Qui fiat, quòd de cælo disputantes, toto cælo nonnunquam aberrent?*

11. *Astrologorum eclipses plures esse, quàm Solis & Lunæ: constantémque famam tenere ab inspectis sideribus multos siderato fieri.*

12. *Supervacua proci sollicitudine monere* Uraniam, *ut proprij nominis sit memor*

quan

quando ex ipso nomine commonita, astrorum Conditorem jam olim prætulerit eorum vanissimis duntaxat observatoribus.

13. Dei unius aspectu se satiari posse.

URANIA
ALLONIO PHISCONI
MATHEMATICO.

1. UT tua laxata est filis, & Epistola lecta:
   Sensimus insolitis cor tremuisse modis.
Obstupui confusa genas; & fronte relictâ
   Surrexere comæ: diriguíque gelu.
An Deus, an magus est, scripsit qui talia, dixi:
   Tantáque promittens, ater an albus homo est?
Quòd mihi Magnetis tribuas sine pondere vires;
   Scimus, adulanti quæ sit habenda fides.
Non traho te, quod ais. sua quemque insana voluptas,
   Ac te præsertim stulta libìdo trahit.
Candori ignoscas, non sum me judice tanti;
   Inter formosas ut nigra, gemma vocer.
Scilicet ante nefas illustria nomina dantur.
   Post scelus, abjectum stramen & alga sumus.
2. Forma pudórque bonum fragile est, sed firmius, opto
   Propositum maneat, quàm tua dona, meum.
Confiteor: speculi missum mirabile munus
   Decidit in terram, futilis orbis erat.
Frusta jacent dispersa solo. tua numina testor,
   Sacra Syracosii quæ colis ossa senis.
Dum manibus servans conum explorare laboro;
   Elapsus subitò, me renuente fuit,

Forſan & ipſe tuus vitro ſplendente probetur
Non durabilior, qui ſimulatur, amor.
Iridis útque color, te judice, nullus & omnis;
Sic amor apparens, nullus & omnis adeſt.
Falluntur donis ſpecioſis ſæpe puellæ:
Quomodo viſcatæ decipiuntur aves.
3. Si verum eſt, quod amas: cur non ex ære polito
Miſiſti ſolidum, nobilis auctor, opus?
Vitrea non durant paſcentia munera VISUM.
A minimo flatu talis arena perit.
Nec tu ſuccenſe. facilis jactura bonorum:
Qualia Fortunæ cernimus eſſe levis.
Anne coruſcantis credebas atque ſubacti
Pulveris aſpectu, me potuiſſe capi?
Atqui non ſoleo nitidis ſpecularibus uti:
Cura nec Idalij pectinis ulla tenet.
Siqua volet Virgo dimittere nominis uſum,
Et caſtum certa jungere lege torum:
Haud ea propter opes, aut dona fugacia nubet:
Mutua legitimus fœdera ſancit amor.
Plùs multò eſt, votis quòd me certantibus ambis:
Innuba, quòd videor digna favore tuo;
Quòd mirè ſolers opifex ſpectacula centum,
Mille novas artes polliceare mihi.
Metator cœli, Geometres, Pictor, Aruſpex,
Augur, Schœnobates, nauta, Tragœdus ades:
Magna, nec invideo, magnáſque moventia mentes
Nomina. Dent Superi plura, dabúntque, precor.
4. Ah tener *Alloni*! quandoque ſcientia, ne nos
Strangulet, eſt numero diminuenda ſuo.
Divide tot dotes: non ſufficis omnibus unus.
Vitibus haud prodeſt luxuriare nimis.
Jugera deſtituunt malè multiplicata colonum.
Proficit exiguo limite cultus ager.
Quòd bene te jactes, & grandia verba loquaris;
Nautica quæ flatu trudere vela queant.

Si non ardelio es, certè potes eſſe videri.
Talis ego conjux ardelionis ero?
Bellus es arte lyræ, quantus fuit Attalus olim:
Depoſitáque lyrâ, *bellus es arte pilæ.*
Credamus: neque enim mihi ſit dubitabilis ille,
Concita qui ſiſtit flumina, pigra movet.
Qui trutinat montes, terram metitur & undas.
Vix ego te poſſim, PHISCO, negare Deum.
5. Explorare libet, ſpeculeris in aêre tantùm,
Scitor; an & juſtum te duce ſurgat opus?
Nam, niſi me fallo, ſucceſſus judicat artes.
Eventus pretij libra ſit apta ſui.
Multa quidem ſpondes: tamen experientia muſſat:
Famáque non timidè teſtificata negat.
Arte tua, coluber vel aranea nunciat horas!
Sæpe nec ad Solem tangis, amice, ſcopum.
Vidimus errantes bene correxiſſe cylindros,
Cuſtodem noſtri Baucida ruris anum.
Quas tabulas, bone vir, muro depangis aprico,
Retrahe ad octonos, dixerat illa, pedes.
Fecit: & in puncto Lampas Titania tempus
Reddidit; umbrantem reſtituítque ſtylum.
Hic lepor, iſta fides, hæc cœtûs gloria veſtri!
Cum jactas, iſtud provenit, *Arte mea.*
Arte tua nitens pennis teſtudo volabit!
Fac priùs, ut plano tramite repat humi.
Arte tua volucrem ceram librabis in auras.
Icarus es, quando Dædalus eſſe cupis.
Arte tua, magni ſumptu pereunte canalis,
Nil profecturis fontibus hæſit aqua.
Arte tua, ſteterant quæ proxima culmina cœlo,
Diruta ſuccuſſo procubuere ſolo.
Sic loculi procerum, regum fraudantur hiatus.
Dum ſtruitis lapides, dilapidatis opes.
6. Multa *Mathematicus* temerè promittit; & audet.
Facta tamen verbis inferiora ſcias.

Si potes è medio proferre oracula cœlo;
Et ſupra Phœbum Pieridéſque ſapis:
Fac Domino lucroſa ſuo Sapientia proſit.
Eja: tibi vates vaticinare priùs.
Cujus in amplexus ibis? quando omnia nôſti;
Cur neſcis Sponſæ fœdera certa tuæ?
7. Jactatis vanos, ventoſa volumina, *Faſtos*:
Fata Sibyllarum ceu veneranda decem.
Plurima narrantur Graias viſura Calendas:
Somnia, Prudentum non meritura fidem.
Signatum Nonis, implebitur Idibus: Idus
Prædictas, Nonis ſæpe videmus agi.
Venduntur poſitis carò mendacia nummis.
Pro verbis, populus cogitur æra dare.
Heu, miſeris tanti conſtant exordia Jani!
An non dicatur Janus hic eſſe biceps?
Nec modò bifrontem, ſed eundem & ſæpe bilinguem
Invenias. gemino friget & ore calet.
O quoties ſignum nivis algoríſque tremendi
Ponitur: & Zephyris mollibus aura tepet!
O quoties tepidum ſtillans promittitur Auſter:
Aruáque cum fluvijs, flante Aquilone, rigent!
Verſuti quales jam notæ fraudis agyrtæ;
Undoſum populo circumeunte forum;
Pro botris fungos, pro baccis poma loquuntur:
Allia pro cæpis, pro ceraſíſque nuces.
Qui non vult falli, teneat contraria Faſtis.
Fixa leget quoties nubila; nulla legat.
Pro pluvia ſudum; glaciem pro fulmine ponat.
Vincet ridiculas hac ratione minas.
Æſtus erit? denſas urſi circumſpice pelles;
Pluráque languenti ſuffice ligna foco.
Acre gelu? nullas opus eſt conducere vulpes.
Arcebit gelidum trita lacerna Jovem.
Fumabit rapidis fortaſſe vaporibus aër:
Haud aliter, quàm cùm Sirius urit agros.

Sæ-

Sæpius agricolæ diſcernunt doctius Annum:
Pérque ſuas numerant tempora certa vices.
Præcipiunt ventos: (horum quoque gratia fratrum,
Rara; nec Hippotades abnegat ipſe pater)
Præſentíque notant diſcrimina Solis in ortu:
Ancipites Lunas, Mercuriíque dolos.
8. Auriculas aſini veſtris Rex prætulit unus.
Dixerat his motis: demite frena; *pluet*:
Cúmque reducendis venatica plauſtra moloſſis
Siſtite. cæruleis imminet imber aquis.
Unus ad hæc ringens: quæ vani cauſſa timoris?
Panicus inceptum cur remoratur iter?
Venari jubeo. nihil hic diſcriminis, aura
Dianæ ſtudijs aptior eſſe nequit.
Ite bonis avibus: conſtans promitto ſerenum.
Ite bonis canibus: certior, auctor ego.
Itur. itum vix eſt: cùm Juppirer omnis, & omnis
Iuno madet. nimbi, quà data porta, ruunt.
Abruptíque micant laceratis nubibus ignes,
Cum tonitru. relegit tota caterua viam.
E campo reduces *Aſinus* clamore feroci
Excipit; & rauco fortiùs ore rudit.
Vapulat Aſtrologus furcis, ſanníſque jocíſque.
Cætera continuus pœna cachinnus erat.
Riſerunt Dryades: riſere & Oreades omnes;
Et Satyri bifido ſubſiliere pede.
Arcadicam pecudem placuit redimire coronâ,
Sumptâ de ramis, Theſſala Virgo, tuis.
Iudice me, quadrupes oſtro velandus, & alta
Præ *Tychone* fuit dignus ad aſtra rapi.
Iámque illo radiate loco: quo *Caſtoris* albus
Fulget, & alatus *Bellerophontis equus*.
9. Prô! quem monſtra Polo miſeri ſtatuiſtis utroque.
Stridet apud Boream *major & Vrſa minor*.
Scorpius & *Cancer*, *Delphin*, ſed & ipſe *Meduſa*
Inter *Centauros* trux quoque vultus adeſt.

Hin-

Hinnit *equus*, rugit *Nemees Leo*, ſibilat *Hydra*,
Balat *ovis*, mugit *bos*, ululántque *canes*.
Augiæ ſtabulum veſtri, puto, regia cœli eſt!
Herculis emeriti ſudat ubique labor.
10. Adde, quòd inter vos ſumma eſt diſcordia rerum.
Quæque ferit litem ſecta ſuperba novam.
Alter enim *liquidi* nos lactat imagine *cœli*:
Alter idem *ſolido firmius ære* putat.
Huic ſtellæ per inane natant, ut in æquore piſces:
Illi ſunt fixæ, ſicut in orbe globi.
Hic probat immoto Terram Titane moveri,
Producens *tabulas*, docte POLONE, tuas.
Iſte negat: totóque, ait, axe *Copernicus* errat.
Sarmata, quis mentem devius error egit?
Sarmata, quæ patrium gyrat vertigo Booten!
Sarmata, quo capitis tegula rupta modo eſt?
11. *Credo equidem, nec vana fides*: ſine fine tuenti
Plurima noctivagas damna creare faces.
Multi adeò ex vobis ſtellis fatalibus icti,
Impreſſum cerebro non leve vulnus habent!
Martis obeſt acies, obſervatíque Triones.
Cynthia nocturnum verberat alba caput.
Aſtrologus pernox plures, quàm Luna laborans
Creditur eclipſes corde animóque pati.
Illa tamen redit ad ſeſe, vultúmque ſerenat
Fratris ope, & tenebras diſcutit ore ſuas.
Sed quotus aſpecto ſemel obfuſcatus Olympo,
Lumen ad amiſſum judiciúmque redit?
Ut Phaëthon curru ſemel eſt excuſſus ab alto,
Nunquam præcipites deinde recepit equos.
Hæc tibi ſic refero: non quòd jam vulnera paſſum,
Viribus hellebori, fortis egere putem.
Vivis, & exultas (vivas, precor) integer ævi:
Certáque florenti ſanguine vena tremit.

Et

Et rubor in malis, & flos invenilis in ore:
Et validum caput eſt, ingeniúmque micat.
Nec non & pretio, nec non & dignus amore:
Et peream, ſi non bellus & aptus homo es.
Sed metuo, ne, quod potuit contingere multis,
Et tibi contingat. *Caſus ubique valet.*
Obſcuris volitant paſſim Infortunia pennis.
Sollicitam reddit me tua, PHISCO, ſalus.
Nam quamvis nullas mediter conjungere tædas;
Certè aliquem culpâ nolo perire meâ.
Parciùs ergo tubis rimantibus utere cœlum:
Quippe maligna diu ſidera viſa nocent.
Præcipuè vita *Capricorni* ſidus iniquum.
Arîetat in frontes: cornibus ora ferit.
Poſt hunc, ingentem metuas *Orionis* enſem.
Imminet hinc capiti maxima plaga tuo.
Falx quoque *Saturni* curuato dente timenda eſt.
Iſte ſenex pueros falce viróſque metit.
Inflictum nullo cures medicamine vulnus.
Vitta pia Matris, cuſpide læſa, nocet.
Quò magis Æmonios etiam vitaveris arcus.
Lucida Neſſæum ſpicula virus habent.
Heu! fuge *ſerpentem* qui nexibus implicat Arcton.
Cauſſa venenatæ mortis in angue latet.
An dubitas, nocitura tibi, quæ brachia curuat
Scorpius: in cauda noxia ſtella ſedet.
12. Ah, miſer ALLONI! jam ſaucius eſſe videris:
Quî ſperes noſtri fœdus inire tori.
Seriùs hoc poſcis dudum prævenit Amator
Dignior. alterius jus violare cave.
Scribis, ut ex proprio connubia nomine diſcam:
Clara Mathematicum poſcere Fata virum.
Crede mihi, nondum potavi flumina Lethes.
URANIE memor eſt nominis uſque ſui.

Ut non displiceas; tamen haud potes esse maritus.
Alter nobilior me sibi vinxit Hymen.
13. Non ignoramus, cujus vox illa feratur:
Cùm Cœlum aspicio, quàm mihi sordet humus!
Scimus & hoc: visis idem quòd dixerit astris:
Pulchrior ô quanto est, qui super astra nitet!
Ille mihi ante alios, qui me, qui condidit illa,
Millibus è multis semper amandus erit.
Quantumvis toto me latiùs æthere pascam?
Non satiant Animum summa vel imma meum.
Despicienda mihi promisit sidera Sponsus
Omnibus ex æquo suspicienda patent.




SEN-



Non ſatiatur auris auditu.
Eccleſ. 1. v. 8.

Melchior Küſell f.



SENSUS II.

AUDITUS.

Epistolarum

LIBER SECUNDUS

DUbites utrùm periculosior utiliórque Animæ Sensus sit, Visus an Auditus. De præstantia jam olim disceptatum fuit. Certè aliqui Sancti maluerunt esse cæci, quàm surdi. Cæterum insidiosas hujus Sensûs illecebras S. August. scitè descripsit lib. 10. Confess. c. 33. *Voluptates aurium tenaciùs me implicaverant, & subjugaverant. sed resolvisti & liberâsti me. Nunc in sonis, quos animant eloquia tua; cùm inani & artificiosa voce cantantur, fateor, aliquantulùm acquiesco: non quidem, ut hæream, sed ut surgam, cùm volo, &c.* Audis? etiam sacri Cantus & Psalmorum modulatam suavitatem suspectam habuit. Quid de impudicis cantilenis, jocis inhonestis dicturus erat. Scilicet verba prætextata per aures transmissa, certa sunt incitamenta vitiorum, quandoquidem & ista castum pectus convel-

vellunt, & aſſenſum delectationis petunt. *Vocis ſuavitas gignit in mente cogitationes, cupiditatésque laſcivas.* ita S. Baſil. Magnus, de vera Virginit. nam *dum dulcia reſonant, ad noxia inclinant*, ait Gregor. M. lib. 32. Moral. c. 17. Qui eodem capite explicaturus illa verba: *Oſſa ejus, ſicut fiſtuſtulæ æris.* Job. c. 40. v. 13. totum Argumentum hujus libri de Auditu abſolvit. *Fiſtulæ*, inquit, *ſonoris aptari cantibus ſolent: quæ admotæ auribus, dum blandum Carmen ſubtiliter concinunt, interiora mentis, in exteriora delectationis trahunt: &, dum dulce eſt, quod in auribus ſonat, virilitatem cordis in voluptatis fluxu debilitat: cúmque Auditus ad delectationem trahitur, Senſus ab ſtatu ſuæ fortitudinis eneruatur.* Quid *Sirenum Cantus* aliud indicant, *quas* multò antè Iſaias Propheta *in delubris voluptatis vidit.* c. 13. v. 22. Hæc igitur irritamenta expreſſuri, proponimus primò ipſum Auditum, ſonos ſuos Uraniæ vendere cupientem; ſed fruſtra. Deinde Muſicum & Poëtam: iſti namque aures implent; & ſcenæ vocalis gaudia, ſive vera, ſive falſa conſummant.



AU-

AVDITVS URANIÆ.

Argumentum EPISTOLÆ PRIMÆ.

TOtus etiam hic Sensus est in explicando dotes suas & conchylia. Sic audientiam petit, & facit. ac, quoniam Visui litem sonoram de præstantia movere non dubitat; in spem venit, fore, ut Urania Auditum tot nominibus meliorem, cæteris Sensibus, ipsíque Visui proponat, Dominæ amore dignissimum.

Synopsis.

1. *Aurium beneficium, non inferius esse beneficio visûs.*
2. *Si nulli auditores, ubi Marci Tullij Ciceronis facundia? audientiâ factâ magnificè perorâsse.*
3. *Surdo nihil esse miserius.*
4. *Homero certè cæcitatem non obfuisse, ad æternam nominis famam, quam surdus*

nunquam consecuturus erat. multi alij cæci egregij: surdi pauci.

5. Auditu nihil aptius ad disciplinas capessendas.

6. Proinde meritò aures gemmis & baccis candentibus coli.

7. Tubâ, Auditûs instrumento, milites ad fortia peragenda vehementer accendi.

8. Quid cantu sive hominum, sive Avium, suavius?

9. Exemplum Monachi, auditâ volucris melodiâ, colliquefacti & rapti.

10. Verbo: illum pessimum haberi, qui malè audiat.

AVDITVS URANIÆ.

ECquid, ut accepta est, & Epistola venit ad aures,
AUDITUM sentis, hæc tibi verba loqui?
1. Nec, quia rivalis Visus prævenerit, obstat.
AUDITUM primas nunc quoque ferre decet.
Ipsa tamen dubites, si flebilis optio detur,
Auribus, ánne oculis, orba carere velis.
Sunt, tenebras qui noctis ament: modò voce canora
Præconis possint eloquióque frui.
2. Quis non optaret Ciceronem audire loquentem?
Triste novus strueret si Catilina nefas:

Di-

Dicturum, ô *mores, ô tempora,* Conditor Urbis!
Hoc ausi cives, Romule Dive, tui!
Illa tonans Latijs famosa *Philippica* Rostris,
Deciderit quanto Rhetoris ore, putas?
Exundare forum: mirari lapsa Senatus
Flumina, quæ in gyrum lingua diserta rotat.
3. Tale nihil *surdus*: qui bruti marmoris instar
Adstat, &, ut vacuum mente cadaver, hiat.
Alloqueris? saxum pulsas. blandiris? anhelat.
Concinis? ignorans ad tua verba stupet,
Non intellectos sermones perdis ad hujus
Pasquini statuam. desine plura loqui.
Cui bona verba bono? quid solers fabula surdo?
Fas sit, eum scopulis annumerare maris.
Littoreæ cautes dicantur & æquora surda.
Quando procellosis sunt agitata Notis.
Mors quoque cuncta metens, & inexorabile Fatum;
Stagnáque Tartareæ surda vocentur aquæ
Quæque omnes superat ventos, stygiásque paludes,
Ferrea nocturno janua clausa proco.
Heu! nimis infelix Fato damnatus eodem:
Heu! nimis adverso sidere natus homo.
4. In cæcis tamen esse solet Sapientia quædam:
Ac sæpe his duplici fænore major inest.
Pro cujus patria decertavere tot urbes,
Publica lux vatum, cæcus Homerus erat.
Cæcus Tiresias, tenebris oculatus in ipsis:
Auditu Vates non minùs ille fuit.
Narcissum monuit, sese ut speculúmque caveret.
Eventus verum præmonuisse, dedit.
Cæcus & ille fuit, Mundi qui grande volumen
Nullius didicit luminis usus ope.
5. Quisquis in Auditum peccat, vel plectitur illo
Vindice, surdaster fit miserandus homo.

Ingenijs faveo,ſtudiíſque ex omnibus unus,
Si quiſquam Muſis ingeniíſque favet.
In cerebri ſedem largo Sapientia fluxu
Derivata meat, me faciente Viam.
Multa trahit ſecum ſimulacra ſcientia rerum.
Caſtalis, eſt Vatum lympha: canalis ego.
Scilicet ut rorem, matutinámque pruinam
Diducto potat concha marina ſinu:
Sic geminæ pendent circùm quæ tempora conchæ,
Tractibus arcanis verba profuſa bibunt.
Hoc Senſu vacuum doceant vel mille Platones:
Nemo diſcipulus, nemo Magiſter erit.
Auſculta, clamat relegens præcepta Palæmon:
Huc adverte puer; Quintilianus ait.
Cecropiæ fruſtra ſine me panduntur Athenæ.
Totus Ariſtotelis plauſus in aure ſedet.
6. Jactet nunc caros pro cunctis Vrsus ocellos:
Extollat gemmas, lumina bina, ſuas.
At certè auriculis grandes mandantur elenchi.
Pendet ab his rubri ſplendida gemma maris.
Pendent berylli, nexíque adamante Smaragdi.
Corporis hæc colitur pars pretioſa magis.
Integra nonnunquam regni patrimonia portant.
Teſtis erit ſceptri dos, Cleopatra, tui.
Candentem baccam perfoſſæ detrahis auri.
Illâ diluitur prodigiale merum.
Sumis,& Ægypto totâ te proluis unam.
Stante Pharo, tanti non ſtetit ulla ſitis.
7. Utilis inprimis ad magna negotia Senſus,
Tela per & flammas expedienda valet.
Qualia multa foro tractat Mercator, & Hermes.
Qualia Mars campo ſanguinolenta gerit.
Ante tubam marcent acies, ſegníque pavore,
Aut luxu nimio languida caſtra jacent.

At

At ſimul inſonuit turmali buccina ſigno:
Militiam reſidem claſſica rauca movent.
Pectora continuò belli furor altiùs intrat:
Cúmque viris alacres exhilarantur equi.
Proijcitur leti terror, vitæque cupido,
Miles, *iô*, magnâ voce, *triumphe*, canit.
8. Diſce alias vires: rumpuntur cantibus angues,
Rumpuntur Pario marmora celſa jugo.
Sopitur tremulo plorans infantia cantu,
Cùm ſedet ad cunas,& pede motat anus.
Labitur in dulcem ſomnum ſub fronde viator:
Quam prope lenè fluens vitrea garrit aqua.
Cantantis pariter, pariter data penſa trahentis
Fallitur ancillæ decipitúrque labor.
Fallitur & duro campum ſulcantis aratro:
Quíque ſub æſtivo ſidere farra metit.
Promovet adjecto per flumen carmine cymbam
Lætior, & refluum navita ſcindit iter.
Nil animos æquè rapit ac Symphonia diſcors:
Nil æquè lachrimas triſtitiámque ciet.
Hæc facit, ut, merſus veluti ſub gurgite piſcis,
Tota in delicijs mens liquefacta natet.
9. Utque extra ſeſe ferri videatur in altum,
Terra vale, cœli vita beata vocat.
Non eſt vana fides: aliquem tria ſæcula paſſum,
Unica detinuit, filia lucis, avis.
Illa ter, illa quater circumvolitavit euntem:
Traxit in Elyſium denique rapta nemus.
Si non traxit eum: potuit traxiſſe videri.
Vim gratam paſſus dulce peregit iter.
Temporis hoc ſpatium vix unam credidit horam.
Ergo momentum vix trieteris erat.
Ah tota, Uranie, fieri, ſine Solibus, *auris*
Optares: ad idem ſi raperere melos.

Hoc demum moveat, ne sim tibi vilior æquo.
Spretus peccanti tristia damna creo.
Noxa, *male audire est* : virtus, *bene* sensus honorat
Iste suam Dominam : dignus & ipse coli.
Auditûs Sensum non est contemnere tutum.
Dii melius! votis annue Nympha meis.
Tunc oculo cuperes fortassis utroque carere:
Dummodo concentum continuaret avis.

URANIA AVDITVI.

Argumentum EPISTOLÆ SECUNDÆ.

URania *Auditum*, cui rescribit, velut ancipitis fidei Sensum, sæpe iniquum, falsum, vanum (esto, alioqui non spernendas dotes habeat) hac Epistola molliter castigat; suadétque concordiam cum fratribus. denique seriò monet, ut ambitiosâ spe dimissâ Animæ potestatem & jura occupandi, potiùs fideliter servire pergat; quàm ineptè dominari præsumat.

Syno-

Synopsis.

1. Auditûs dignitatem agnoſcere Vraniam, & ſervitia commodáque in Dominam redundantia, commendare. Primatum tamen inter Senſus, Naturam negâſſe. ejus ordinem temerario conflictu immutari, fatale: maneret ſua ſorte contentus: ſic quoque carum fore.

2. Num paſſurus ſit ſibi Odoratum præferri? idem ergo & Viſui grave, ſi Auditus præponatur; ſenſus, quo ſues præcellunt, nunquam aquilis comparandi.

3. Si gloria quæratur in auribus, longiorem acutiorémque gloriam ad aſinos potiùs pertinere, quàm homines.

4. Ciceronis ad aures facti facundiam non diſplicere. cæterùm faventem audientiam nemini magis, quàm Auctori obfuiſſe. M. Antonij gladios M. Tullius ſurdus & mutus poterat evadere.

5. Multa præterea incommoda ex auditu emergere; ut quandoque ſurditas optabilior videatur. quippeni optabilior! cla-

mantibus ranis, tonantibus nimbis, fremente marito, canente gallo.

6. *Certè propter calumnias & convicia auribus inserpentia, Siraciden monuisse; ut aures spinis sepirentur: quod Vlysses cerâ supplevit.*

7. *Aures gemmis onerantium luxus. vanissimus. gemmam candidam digniùs illum mereri, qui barbarum Cleopatræ luxum damnaverit.*

8. *Quid igitur Auditus sonum jactet? cùm illo nihil sit inanius.*

URANIA
AUDITUI.

Ac si quis tacitè nobis pervelleret aurem,
Sensimus ex scripto vulnera facta tuo:
Nulla tamen fixas odio testantia fibras.
Unum præcipuè vulnus amoris erat.
1. Ne te postponam cognatis Sensibus, instas.
Nescis, quid metuas: omnia tuta times.
Nam tibi nos ultrò multùm debere fatemur.
Nec scio, post Oculum quo magis utar ego.
Auxilio cujus rara atque incognita disco.
Impletur multis rasa tabella notis
Hactenus ergo tibi post Visum defero primas:
Delicium Dominæ præsidiúmque tuæ.

Si tamen in fratres dominatum quæris honoris;
Difficili clivum quæris adire via.
Heu! cave, ne rumpas naturæ fœdera sanctæ;
Juráque convellas, quæ temerâsse nocet.
Cuique suum munus certum assignâsse notabis:
Et, quo contentus debeat esse loco.
Anne etiam hîc verum: *fratrum quoquè gratia rara est*;
Per te, perque tuum, perfide crimen erit
Interea patiar medio in discrimine pugnæ!
Quæ non peccavi, jurgia vestra luam!
Sin etiam primus dici præsumis amator;
Spes abit in ventos. nomen inane petis.
Scilicet hoc *Oculi* patientur, & ante fideles
Excubias frontis carior *Auris* erit!
Quantis aspicerent prælatum & qualibus hirquis!
Ægrè liventes lis aliena videt.
Urimur invidiâ, quoties vicinus abundat:
Censetúrque bonis nos cruciare suis.
2. Ne cupias nostri pervertere Corporis usum.
Dixit non nemo: *quidquid es, esse velis*.
Indignè ferres, si te præcedere vellent,
Partibus officij *pésve manúsue* sui.
Ergo & Luminibus per te sua gloria constet,
Dignior illorum functio: major honos.
Munere nativo non hos assurgis ad actus.
Auditum Visus vincere jure potest.
Vile animal porcus: tamen hoc præcellere fertur.
Ille notat mutos per fruticeta canes.
Quantumvis tacitus silvarum confraga lustres:
Tenûia præcerpit murmura Marsus aper.
3. Plus etiam justo celebranda largus in aure es.
Hinc fit, ut auritum plus satis esse rear.
Invenies fratres, Cadmæum Actæona falso
Mutatum cervo, Mygdoniúmque Midam.

Ambobus longum cava mobile tempora circùm
Delius huic, illi Delia læsa dedit.
4. At sine te populum, nequeat mulcere disertus
Tullius in patria, pro patriáque sua:
Attonitam Cicero dicendo fecerit urbem,
Callidus Ausonios detinuisse Patres.
Præstiterat potiùs, linguam frænâsse loquacem.
Eloquij torrens, ni modereris, obest.
Quamvis Laurigeros attollat Curia fasces;
Liberáque exsultet Consule Roma suo:
Ejus, quæ cœtu plaudente *Philippica* dicta est,
Merces, Popilij stricta *securis* erat.
5. Non semper prodest audiri, & dicere: *Dixi*.
Sæpe nec audire est utile quemque sonum.
Nonne aliqui posito pretio obsurdescere mallent?
Stridet ubi rauco mobilis axe mola
Quem non, Ranarum *sub aqua* clamantia, vexant?
Perstrepit in putri pessima rixa lacu.
Cùm tonat, & rapidæ quatiuntur in æthere nubes:
Quàm multi cuperent auris habere nihil.
Audit, & expallet, séque immis occulit umbris:
Et folium lauri ruminat ore, Nero.
Turbidus atque tremens Jovis ignea tela, relictis
In mensa muscis, *Flavius* antra subit.
Quàm misera est uxor, fremitus audire mariti
Ferventésque mero ferre coacta minas.
O venti, nostrum procùl hinc avellite corpus,
Territa crudeli dixerat una viro.
Quid? cùm nocte canes ululant, adimúntque soporem?
Quid? cùm bubones tristia fata gemunt?
Multi nec galli cantum, cùm plaudit, & alis
Suscitat Auroram, tempore noctis amant.
Ismariæ volucris dulci testudine surdus
Fraudatur: sed nec pavo molestus erit.

Nec

Nec passer, nec pica loquax. convicia mille
Prætereunt talem more silentis aquæ.
Crastina furacis cessant fastidia corvi:
Nec curat lessum noctua dira tuum.
6. Quandoque est virtus, ut saxum adstare loquenti:
Vultu marmoreo, fronte, Medusa, tuâ.
Impia cum levibus volitant perjuria pennis:
Per fas atque nefas cùm violatur honos.
Ac veluti fundâ stridente calumnia tocta,
Spargitur in Reges: in populare forum.
Laudabor, si stem *veluti Marpesia cautes*:
Si fiam Niobe vel lacrimosa silex.
Sæpe homines oculis peccant; sed sæpius aure.
Nam quoties linguâ tetra venena bibit!
Non datur ebrietas Bacchæa nocentior illâ.
Hausta per AUDITUM crimina manè vomit.
Idcirco spinis aures sepire monemur.
Creditur ex rhamno spina nocere minùs.
Quræe, quid astuta laudetur in aspide: cujus
Exemplo, si vis, providus esse, potes.
Illa, canente Mago, ne torpens audiat hostem,
Colligit in teretem squammea membra globum.
Spira fit, atque caput subductum obturat & aures.
Sic à Thessalico carmine tuta manet.
Aspidis in morem, Sirenum ad cantica quisquis
Temporius valvas obstruit, ille sapit.
Non tam Dulichij clypeum miramur Ulyssis
Quàm quibus effugit, cerea claustra, necem.
Felix, qui quoties tinnit malesuada voluptas,
Aure soporatâ dissimulare potest.
An non in laqueos cadit ales & Aucupis uncum,
Quando sub arbustis *fistula dulce canit?*
Excute *Fastorum* libros. plerumque Tragœdos
Plenior exemplis tristibus Auris alit.

7. Cur

7. Cur igitur membrum hoc gemmis ornemus & auro?
Nonne ſtylis ideo vulneribúsque patet?
Mirer ego aut laudem ſumptus luxúmve puellæ,
Fert ibi quæ dotem Sardonychata ſuam?
De qua ſcripſiſti, Meretrix famoſa Canopi,
Ex Ptolomæorum ſanguine nata fuit.
Nulla bibit ſapiens ſic Virgo, nulla propinat,
Regali ſcorto quæ libuere, licent.
Ut caream gemmis, quales Ptolomais habebat,
Coram Romano prodiga lena Duce:
Si neſcis, alias nobis donavit inaures,
Qui ſedet in medio pectore ſanctus Amor.
Quales nec legitur pulcræ donâſſe Rebeccæ
Tangere juratus ſervus herile femur.
Celſior Abramide Sponſus præcordia circùm
Ludit, in aure ſedens interiore tamen.
8. Sperne leves crotalos, luxúmque & tinnula ſiſtra;
Nil citharæ proſunt, nil lyra mollis, ait.
Nil ſatiant Animam vocalia. cantus, inanis
Eſt ſonus, & flatus: *prætereáque nihil.*



Pam-



PAMPHILVS SARGA MUSICUS URANIÆ.

Argumentum. EPISTOLÆ TERTIÆ.

SArga Muſicus, Phonaſcorum blandientium more, aures Vraniæ ſuaviſſimè ſcalpit; ut, ſi poſſit, doloſè incantatas, in ſua vota trahat. certè, ut ad conſenſum Hymenæi invitet, artem ſuam, divitias, favores Principum, omnium rerum copiam oſtentat.

Synopſis.

1. *Inſinuat ſe Muſicus arte ſua.*
2. *Canendi voluptatem, amorémque cultioribus ingenijs inſitum eſſe. Moroſos, fruſtra naturæ genialium hominum obluctari. Quid? quòd & agreſtes impenſiùs delectentur!*
3. *Mundus, Dei canticum S. Aug.*

4. Da-

4. *Davidem Regem, præstantissimum Psalten fuisse.*

5. *De Amphione & Orpheo.*

6. *Multos laboriosis artibus atque scientijs pollentes, egere. se vel assa voce, vel admotis fidibus ludibundum, quasi in otio ditescere. Hinc Musicos delicias Regum esse.*

9. *Revocat Vraniæ in memoriam obsequium suum. etenim Pamphilum Sargam fuisse, qui nuperrimè ad ejus januam, nocturnam Symphoniam excitaverit. id Virginis honori tributum.*

8. *Sapere puellas quàm maximè, Musicis nubentes: quippe semper lætis jucundísque viris. propterea ad hilariores festivásque epulas magnorum Principum invitari. ciborum gaudiorúmque ultimum condimentum.*

9. *Cantu saxa quoque fuisse commota: utique, etsi saxeum cor Vraniæ (cùm tamen puellæ mollissimum habeant) permovendum.*

10. *Quid dubitet? amoris æterni fœdus promitti, firmissimè servandum. Certè Orpheum*

pheum, Eurydicen suam constanter amâsse; ab Infernis sedibus, post mortem, amore maritali reductam.

II. Paria, immo majora pollicetur.

PAMPHILVS SARGA
MVSICVS
URANIÆ.

PAmphilus Uraniam (quid enim mea nomina celem!)
  Alloquor: obsequio, si sinis esse, tuus.
1. Cur non esse sinas? vix me præstantior alter,
  Ore ciere modos, ære ciere viros.
Orphæis etiam fidibus bene ludere doctum,
  Nomine non uno, summus & immus amant:
Si tuus accedat votis amor: anchora jacta est.
  Navigat in portu salva carina suo.
Da faciles ventos, & nostris annue velis:
  Musicus intrabo non novus hospes aquas.
Lesbius assuetos *inter Delphinas Arion*,
  Unius imposito corpore terga premens:
Concita cùm venti turbarent æquora; fertur
  Arte procellosum composuisse fretum.
Illum Cymodoce nando sequitúrque præítque:
  Illum omnis Phorci, Nereidúmque Chorus.
2. Consule Naturam: cantandi blanda libido
  Insita, ab uberibus matris & ore fluit.
Flet puer in gremio: quatiet simul ænea nutrix
  Cymbala; subridens oscula pauca petet.
Utque solet purgans dispellere nubila ventus,
  Eoæ domitor Parrhasiæque plagæ:

Non

Non injucundo ſic dulcis tibia flatu,
    Curas atque metus, triſtitiámque fugat,
Dum ſecat Alſaticas meſſor Burgundus ariſtas,
    Mitiget ut falcem, laſſáque membra, canit.
Sole cadente redux ſaltando tendit in urbem:
    Prævia ſed buxus dat ſine lege modos.
3. Eja; *Tagaſteno* ſi quidquam credimus *Afro*;
    Cujus caniciem Mitra verenda premit.
Quantus hic eſt, *una eſt totus Symphonia Mundus*.
    Cantat in hoc Libro, quidquid ubique vides.
Pondere, Menſurâ, numeróque hæc Machina conſtat:
    Quæ tria perficiunt conſona dulce melos.
Sol & *Luna* canunt: nec non vaga *Sidera* cœli.
    Hinc cauſam ſumpſit Pythagoræa Lyra.
Arduus urgetur metricis concentibus Æther.
    Continua in geminis volvitur oda Polis.
Silva, feræ, volucres, montéſque & grandia Cete,
    Ipſáque *divinæ* ſunt Elementa *notæ*.
Mollia dum *duris*, craſsíſque liquentia pugnant;
    Miſcent diſcordes, conveniúntque, ſonos.
Corporis humani ſtructura, eſt Numinis *Hymnus*:
    Artificem cantant ſingula membra DEUM.
4. Non puduit Solymæ Regem contingere chordas,
    Jeſſides ſacrum percutiebat ebur.
Cùm ſocer attonitus furias pateretur Averni:
    Sacráque convulſum ſtringeret ira jecur:
Vexatum rabie, Generi medicina levavit.
    Illa, nihil præter fila Davidis erant.
Luſit, & immitem genium pacator abegit.
    Eſt aliquid, ſtygium perdomuiſſe canem.
Quondam etiam citharam fortis percuſſit Achilles,
    Illa, qua vertit Pergama capta, manu.
5. Noſtrûm aliquis ſola teſtudine condidit urbem.
    Hinc veteres *Thebæ* nobile nomen habent.


No-

Noſtrûm aliquem montes,ſilvæque fuêre ſecutæ:
Fluminaque in ripis clauſa ſtetere ſuis.
Vidiſſes motâ radice incedere quercus,
Agmine,quo pulſans Tympana miles ovat.
Ibant & Cedri, miſtæque virentibus alnis;
Nigra comas abies, populus alba comas.
Ibant & ſi quas non impediere cupreſſus
Funera: nam tumulos viſere ſæpe ſolent.
Ingemuere truces urſi; flevere leones,
Inſontes agnis accubuere lupi.
5. Hinc nobis acceſſit honos; hinc gloria crevit.
Gloria non vacua eſt; ſed nec inanis honor.
Purpurei Patres, diadematique Dynaſtæ
Conducunt pretio. nos quoque Cæſar emit.
Annuimus tardè: tamen allicit *aurea vulpes:*
Quâ visâ, cujus ſit taciturna chelys!
Mille per ambages alios prudentia Juris
Efficiat claros: me mea Muſa beat.
Quásque alijs toto ſudor vix afferet anno;
Vnicus ingentes fert mihi *Menſis* opes.
Quàm facile eſt,graciles digitos intendere plectro!
Quàm facilè ex collo vox modulata fluit!
Gutturis exemplo tali flaviſſima merces
(Scis bene,de quali flumine ſumpta) datur.
Nobis Pactolus rutilas eructat arenas:
Delinit & fauces divitis unda Tagi.
Nuper cùm *bellè* canerem, è fulgente metallo
Injecta eſt humeris torquis opima meis.
Cingula reſplendent: chlamydes ſubteximus auro.
Auratis clavis tendimus,ecce, fides.
Tinnit in aure ſonus: tinnit quoque nummus in arca.
Dulce eſt,alternis hunc variare chorum.

Jámque adeò ſentis, haud dona uxoria quærit.
Te peto, non dotem, cara puella, tuam.
7. Hoc ita non pridem memoranda nocte canebam:
Cùm tibi delicias fecimus ante domum.
Ibam cum ſocijs calcantum more plateas.
Intremuit ſolidis paſſibus icta ſilex.
Non tunc excubias, non ferrum, umbráſque volantes,
Non timui ſtrictas in mea Fata manus.
Ventum erat ad limen: tunc noſtra reſolvimus ora,
Inſtructi gladio, pectine quisque ſuo.
Ac niſi decipior, viſa es mihi ſigna dediſſe,
Ter rota, ter ſtrepitu mota feneſtra fuit.
Cynthia, cantabam, toto nitidiſſima cœlo.
Nomine mutato, tu mihi *Sidus* eras.
Phyllida dicebam: ſalve digniſſima cuſtos
Elyſiæ villæ: tu mea *Phyllis* eras.
Chloris, iò, florens, Zephyro dilecta marito,
In mea prata veni: tu mea *Chloris* eras.
8. Muſica Gens læta eſt, pronóque in gaudia ſenſu
Fertur, & affectus ad ſua vota rapit.
Finge coronatos onerari lancibus orbes:
Fercula mutari, Maſſica vina bibi.
Si lyra nulla ſonat, quid ſunt convivia muta?
Orgia quid Bacchi? ſi lyra nulla ſonat.
Luxus iners, ubi nulla fides, & barbita torpent.
Mota movent animos, exhilarántque dapes.
Ipſa quoque hac animâ niſi ſe Comœdia ludens
Induat: abſque choro, triſte cadaver erit.
Ne dubites igitur ſociare cubilia mecum.
Quam mihi das vitam, reddere, Virgo, volo.
Quemcunque anteferas: ſterilis, vel frigidus Hymen,
Vel moroſus erit; ſi Cytharœdus abeſt.
9. Non potes, ut cupias etiam, ſine nubere nobis.
Ni, ceu Perſephone, nubere rapta velis.

Du-

Durior ut quercu rigeas, ſcopulíſque marinis
Surdior: in partes arte trahêre meas.
Si Geta Dijs genitus (nam Dij genuiſſe feruntur;)
Threicia potuit ſaxa movere lyrâ:
Non ego te fidibus noſtrjs adducere poſſim!
Et mihi Teſtudo eſt. & mea fila trahunt.
10. Dummodo non metuas; ne, qui nunc ardet, ut ignis
Vaneſcit fatuus, ſic vagus erret amor.
Chorda levis nobis: ſed ſunt conſtantia corda.
Mobilis eſt citharæ, non animíque fides.
An non Eurydicem Orpheûs conſtanter amavit?
Mœſtus ab infernis cùm revocavit aquis.
Tu quoque deſcendes Erebum, poſt Fata, ſub immum,
Per nos ex Hecates eriperere ſinu.
11. Te propter rapido peterem nigra Tænara ſaltu:
Nulla moraretur Cymba Charontis iter.
Irem Cerbereos cantu ſopire colubros,
Demulcens placidâ colla toroſa manu.
Hæc, ſi non ita ſunt, ſicut tibi juro: triſulco
Fulmine Tænarij mergar ad ima lacûs.
Hac me obſtringo fide. tu, quid nolíſve, velíſve;
Reſponſo facili (nam puto, *velle*) refer.





URANIA
PAMPHILO SARGÆ
MUSICO.

Argumentum
EPISTOLÆ QUARTÆ.

URania, poſt lectam atque probè examinatam Sargæ Muſici Epiſtolam; indignabunda reſpuit minùs caſtas preces: irridet ſuperbas ſpes: deſcribit & exprobrat ipſi ſuſpecta Muſicorum ingenia, & genium. Ad hæc contemptis opibus, quas jactat, ſumptuosóque artificio, malle ſe dicit cœleſtis Harmoniæ unicam vocem audire, quàm integram terreſtris Symphoniam.

Synopſis.

1. *Vrania moroſior, non eandem Muſici chordam tangit.*
2. *Etiam fabuloſum Amphiona deſpicit.*

3. *Si*

3. *Si Pamphilus, uti jactat, saxa movere possit: cur non idem in pertrahenda ad se Virgine experiatur? quam tamen saxo duriorem sentiat.*

4. *Cæterùm se non magnopere affici erga Musicos, quippe plerosque vagos, leves, velut errantes Cingaros: rudes, artium aliarum imperitos: immò Musarum nomine, quod sibi sumunt, magnam partem indignos. Studijs liberalibus nullos minùs incumbere. quod ipsum Iuventutis Gymnasia satis probent. quotum enim in Lucalibus Theatris, jure merito* præmia *mereri.*

5. *Originem quoque Musicæ artis, non magnam nobilitatem spirare, à fabris ferrarijs ductam.*

6. *Davidem Regem, altioris chori Psalten esse, neque ad profanum sive plebeium pertinere: qui vaticinia vix intelligat; nedum fundat.*

7. *Porrò Tubicines commendatos ex arte Musica, nihil ad rem facere. qui enim Tibicines, in prælio severi Martis, unquam strenuè se gesserint?*

8. *At enim famosum* Musicorum Humo-rem,*incredibili varietate volubilem atq mirabilem:tum vultuosis propterea muta tionibus obnoxium, utique rem esse,nuptu rientium consideratione dignissimam.*

9. *Enimvero Phonascos celeberrimos, plè rumque videri pronos quoque ad temu lenta jurgia Lapitharum. quibus quid ess queat infestius?*

10. *Sit tamen: Pamphilum non esse talem quis ægrè ferre debeat,etiam formidinem oppositi,præcordia fæminei sexûs circum dantem.*

11. *Quòd nonnulli Musici,nullo negotio di tescant: sanè (prô dolor!) contingere,plu rium ingratijs, multorum invidiâ, ali quorum injuriâ,quorundam incuriâ: pere grinâ superbiâ.*

12. *Quasi verò non & miserabiles atque pau perrimi esuritores ad pulpita templorum & rotas ollarum dentur.*

13. *Quidquid sit; Musicam naturalem avium juvenúmque frugalium incorruptam vo cem,præferri rancidis & pretiosis modu lationibus eunuchorum.*

14. Et

14. *Erráſſe bonum Pamphilum, quaſi notatum, dum Vraniæ nocturno tempore accineret, ad feneſtram placuiſſe. talibus cantilenis, ſive encomijs caſtas non affici.*

15. *Quid multis? Sponſæ acquirendæ, ſed invitæ obtrudi cantorem & cantum: hærenti inſuper in exſilio, gementi in valle lachrimarum.*

16. *Deniquè, ut cecinerit canátque procus Sarga ſuaviſſimè: cœleſtem tamen Hymnodiam, à D. Franciſco Seraphico auditã, non ſuperaturum. Huic Vraniam immori velle.*

URANIA
PAMPHILO SARGÆ
MVSICO.

1. NOn ſine vocali ſtrepitu tua, Pamphile, nuper
Incidit in noſtras littera miſſa manus.
Credo, ut continuò ſcirem, qui ſcripſerat illam,
Phonaſcum celebrem temporis eſſe ſui.
Gratulor hunc titulum. ſed nondum exacta voluntas:
Ut cupiam partem laudis habere tuæ
2. Neſcio quem verbis ſublimibus Orphea jactas.
Plurimus Amphion ſemper in ore tuo eſt.
Illos ſaxa, feras, fluvios traxiſſe canendo:
His ut te proavis ſuſpicer eſſe ſatum.

3. Quin igitur patrias exerces callidus artes?
Et pariter fluvios,ſaxa, feráſque trahis?
Cur me ſollicitas precibus, cùm cogere poſſis?
Quæ duci renuit, nonne trahenda fuit?
Si videor tibi dura ſilex, torrentior amne,
Sævior Hyrcana tigride: fila move.
Nimirum vanis rumoribus improba ſerpit
Fabula: veridici nil ea vatis habet.
Fabula ſunt veteres, ſaltantia mœnia, Thebæ.
In terris,Cadmi non fuit ille nepos.
Fabula, quem Bacchæ Thyrſis mactâſſe feruntur?
Aut cui delphines ſuppoſuere caput.
4. Qui propria plerumque domo Laribúſque caretis;
Poſſe rear muros ædificare lyrâ!
Nullus ab Ægypto tam latè Cingarus errat;
Quàm grex,qui vocem vendere & ora ſolet.
Jámque Ducum pronas,Regum jam raditis aures:
Ultima Romani Cæſaris Aula tenet.
Interea indocti, nullo ſermone politi,
Otia per noctes ducitis atque dies.
Ex his qui nôrunt *ſeptem diſcrimina vocum*,
Pierij quota pars eſt ſtudioſa Chori?
Quis canit, & pariter ſtudijs operatur honeſtis?
Muſicus, & *Muſas* vix reperitur amans.
Oderunt potiùs: quoniam plerumque vagantur.
Unde *vagabundi* mobile nomen habent.
Annua ſolennis redeant certamina Ludi:
Non qualem ſpectat campus,Olympe,tuus.
Sed qualem merito ſtatuit Parnaſſus Honori.
Qui bene ſtat,*currit*: Qui ſedet, ille *volat*.
Curritur hîc pedibus, quibus aut Elegia movetur;
Aut tuus Æneas, Dauniadéſque,Maro.
Ingenijs certant Juvenes. nova lucta Palæſtræ
Incipit,atque oleo gaudet inuncta cutis.

S

Sumitur hoc oleum nocturna ex lampade: qualem
Ipsa rigat cerebri rore Minervà sui.
Tum verò ad cœstus, arcúsque: asperrima cernas
Virtute & doctis bella movere dolis.
Quisque suos acuunt calamos & spicula tergunt:
Quot pleni capitis viva pharetra gerit.
Contrahitur facies: oculi sub fronte reducta
Invigilant: mutat pallidus ora color.
Scanditur exacto ludo sublime theatrum.
Ordine, Victorum nomina præco legit.
Hic apium, hic sertum de glauca tollit oliva.
Sunt, quas Laurigeros Thessala Virgo facit.
Sæpius adversum est: Phonasci, debita jure
Præmia pauca ferunt: si tamen ulla ferunt.
5. Quid jactas artem? cujus primordia, priscis
Si qua fides, hæc sunt; *Malleus*, atque *faber*.
Ferrea Cyclopum, repetitis ictibus, Echo
Intonat, alternâ percutienda manu.
Hinc observatus resono concentus ab ære;
Fit subitò *mollis*, qui modò *durus* erat.
6. *Non puduit Solymæ Regem contingere chordas.*
Credo equidem. Vates Entheus ille fuit.
Admovítque fides dignas cœlestibus Aris.
Non poterant tangi nobiliore manu.
Præsagus fibris divinas expulit odas:
Ad quarum sonitus intonuere Poli.
Sacráque quam *Genij* velârunt grandibus alis;
Sensit, & arcanis annuit ARCA modis.
Ille potens totum cantu tremefecit Avernum:
Ut retro versis Styx ulularet aquis.
Tu quis es ad tantum, nervis instructus ovinis?
Non mulcet Phœbum, Faune, Camœna tua.
Quod certamen erit, si sus doctura Minervam est?
Scilicet ad cygnum corvus inanè strepit.

Plerumque impuros tantùm cantatis amores:
Quæque manu geritis plectra, Cupido dedit.
Illius ardentes jaculantur vestra sagittas
Ora: nec auditur vox, nisi *bella Venus*,
Bella Venus scenas omnes & comica tecta
Personat: hæc stultis fabula sola placet.
7. Quin etiam Æacidem, animosáque nomina profers,
Nullus Achillæo major habetur honos.
Heu miser! ille fuit magni Chironis alumnus.
Cujus tu fueris; fortè referre pudet.
Inter equos, intérque tubas, intérque leones
Nutritum docuit, quæ cecinisse juvet.
Et tu fœmineam bello committere buxum!
Et tu, Semiviri quæ docuere Phryges!
Frange lyram Paridis molles agitantis amores.
Illa nihil prorsus fortis Achillis habet.
Musicus in castris, quamvis armatus oberret,
Scilicet in curru deside quinta rota est.
Quem Suecum terrebit enim Philomela canendo?
Cantum *alio tactu* fortiùs ille movet.
Parce, precor, lituis citharas confundere, *Sarga*.
Non bene conveniunt, nec modulantur idem.
Terribilis nostrâ leviorem ætate repellit
Fistula: nec valet hîc: *fistula dulce canit.*
Hæc quoque Martis aves, aquilas, corvósque rapaces,
Nedum luscinias, agmina parva fuget.
Suadeo, si me audis, Dilecte, domestica castra
Pace tua: pacem Protesilaus ames:
8. Quam neque securam tamen, aut sine crimine puram
Audio te solitum continuare diu.
Dicitur & vobis *mirabilis Humor* inesse
Nescio, quo monstrum nomine tale vocent.
Verminat introrsum, subitósque ad Gorgonis ictus,
Innato lepidum sibilat angue caput.

Nunc

Nunc celeres animi motus: nunc pondere mens eſt
    Tardior: & ſtertit non madefacta chelys.
Nonnunquam ſubeunt primi faſtidia cœpti.
    Mox deſperatum continuatur opus.
Vina reſumuntur, plectrúmque reſumitur unà,
    Sobrius heſternà non volet ire viâ.
Invito quondam canitis: cantare rogati
    Abnuitis: quamvis Cæſaris ANNA roget.
Hæret propoſitum. Phalaris licet ipſe minetur:
    Non ſolvet niſi *bos aureus* ora datus.
Nec tamen hoc œſtrum cenſurâ damno ſeverâ:
    Fertilis ingenij cùm ſit amœna ſeges.
Magnorum cauſſa eſt operum; *ſine vermibus iſtis*
    Vis animi marcet: nulláque vena micat.
At ſimul erepunt, tractímque à fronte moventur:
    Titillant nervos, ſuccutitúrque caput.
Gaudia ſubſultu criſpant præcordia miro.
    Oſtendunt certas os oculíque notas,
Se ſapiens prodit furor; & vivacior ardet
    Impetus: & riſum læta Meduſa ciet.
Libertas timidis non diſplicet iſta puellis.
    Auſteros etenim non decet eſſe viros
Certè ego feſtivo malim nupſiſſe marito:
    Radicem cerebri cujus hic *Humor* alit;
Quàm tetrico vultu ſemper qui durat eodem,
    Seu Capricorne tuo, bubale ſive tuo.
9 Dummodo non tandem manifeſta inſania rixas
    Inchoet: & *vermis*, fiat echidna nocens.
Hoc quoque enim timeo. vidi conſidere ſeptem
    Sub platano folijs luxuriante novis.
Bacchus adeſt: (bacchantur enim) majoribus urnis
    Poſcitur; & creſcit, dum bibit, ipſa ſitis.
Jámque ſuo vehitur Senior Silenus aſello:
    Et quæ Baſſarides cum ſene ſemper eunt.

Ergo simul caluere mero, caluere tumultu:
Fit fragor, & sparsim pocula jacta volant.
Mensa supinatur, mox instrumenta canendi,
Telorum subeunt nablia fracta vicem.
Frusta resumptorum tristes adhibentur ad usus.
Vulnera distillant: sanguine mappa rubet.
Cum Lapithis summas Pindi jaculantibus ornos,
Ipsos Centauros accubuisse putes.
Centauris ut ego cœlestis Filia nubam!
Non sum Peliacis edita Virgo jugis.
10, Sit tamen exceptus, neque turba notus in ista.
Sarga meus comis: *Sarga* benignus homo.
Sed mitem genium posito quo pignore sancis?
Quis pro te Sponsor, quis volet esse vadis?
Omnia nam metuunt, quibus hæc sunt prælia nota.
Sollicitam justa suspicione leva.
Dissimulant, simulántque: & multa precantur abusi
Sæpe puellarum simplicitate proci.
O quoties dicunt: *mea lux*, mea sola voluptas!
Nec mea, nec sola est, & mea sola minùs.
Invidiosus amor fatuos transfumat in ignes:
Inque truces iras suspiciosus amor.
Mille sonans *fidibus* lætis promittitur æther:
Ex his servatur sæpe nec *una fides*.
Succedunt valles lachrymarum montibus aurêis:
In quibus infelix mœstáque nupta jacet.
11. At Phrygio cultu spectandi incedimus, inquis.
Hoc est, quod lites invidiámque movet.
Musicus induitur Sutoris filius auro:
Cerdonem Tyrio murice lana tegit.
Teutona Majorum claris natalibus ortum,
Nobilitas panno vestit avita rudi.
Unica *Vox*, caussa est tanti discriminis hujus.
Atque adeò refert: vir canat, anne spado.

Di-

Dives fit, Tuscis ferro castratus in Oris:
Integer, & nullo vulnere castus, eget.
Plus igitur fuerit, Martis cecinisse tropæa:
Hostes in campo quàm superâsse suos.
Cedunt arma togæ: concedit laurea linguæ:
Arpinas verè vaticinatus erat
Cogitur ignavis Labor, &, quæ classica proflat,
Imbelli citharæ succubuisse Tuba.
Vertere Rhene retrò: virtutem gratia vincit;
Eunuchúsque viros: vertere Mœne retro.
12. Quò rapior demens? quales effundo querelas?
Turpis an offensam me quoque livor edit?
Gratari potiùs, quàm sugillare decebat.
Ex æquo partas Dij tueantur opes.
Haud equidem invideo: multo flavete metallo:
Gratia quos Regum, vóxque canora beat.
Sed paucos Fortuna levat. quos tollet in altum,
Forsitan è multis unus & alter erit.
O quot jejuni rumpunt ad pulpita fauces!
Insignes Codros jure vocare queas.
Dum cantant, saturi tosta perdice putantur:
Sed redolet lentem pulcráque vestis olus.
Ore fluunt voces; quas credas Attidos esse:
Latrat in exeso ventre canina fames.
Funera nonnulli fiant, si funera desint.
Macra sepulcralis corpora lessus alit.
Ah! præeunt funus, lugéntque cadaver inane.
Veriùs ob proprium corpus inane gemunt.
Dira fames cruciat, rodítque domesticus hostis.
Occidet miseros: ni Libitina juvet.
Illa juvat, nummóque dato solatur egenos.
Cur tu non etiam dives avare juvas?
Fratres nempe tuos. quot mendicabula cantant
Ante fores *tenebras*, atque Numisma petunt!

Quos


Quos inter quidam lacero centone teguntur:
Multorum in pedibus calceus alter hiat.
Tu facie torua transis, & despicis illos.
Ecce hoc est, mihi quo SARGA placere nequis.
13 Saepe etiam vestris concentibus Ecloga praestat.
Tam tremulo vanos editis ore modos.
Hic interrupto gemitu luctatur, & hiscit:
Ac si Stultitiae thura litare velit.
Ille sonum obfuscat, tractúmque resorbet eundem.
Miscetur corvo nescio qualis olor!
Alterius credas veluti labentia vocem
Flumina, confusae radere littus aquae.
Praefero lucis aves: carmen meditantur inemptum
Omnibus in silvis. praefero ruris aves.
Hae non emungunt proceres: nec carmina vendunt;
Aut pro gratuita voce talenta petunt.
Vos nimiùm caro sumptu suspiria vestra
Venditis. & rauci gutturis exsequias.
Quadringenta sono demus! sistertia sumat
Musicus! an tanti stet mihi pulmo tuus!
14. Forsitan exspectas illius praemia noctis,
Quae nuper, Majo mense, canora fuit.
Scilicet applausi: ter motis laeta fenestris
Cantanti signum visa dedisse tibi!
Heu! nimiùm simplex! decepit opinio vana.
Mentitur votis saepe cupido suis.
Increpui temerè rotulas, digitóque removi,
Quae retinent vitreas claustra minora fores.
Audivi celebrem nostris de laudibus oden:
Cujus nec minimo pectine digna fui.
Illa vel aversam poterat placare Dianam:
Junonémque trucem conciliare tibi.
Cynthia jam pleno vultu formosa vocabar:
Casu fulgebat Cynthia, & alba quidem.

Flo-

Floráque dicebar flores diſpergere digna:
    Qualibus exſultim fertilis Hybla fragrat.
Sunt ſuſpecta mihi de cœlo encomia lapſa.
    Non cupio falſæ nomen habere Deæ.
Phyllida cantâſti. quoniam fuit illa modeſta:
    Illius exemplo ruſtica Phyllis ero.
Ruſtica ſim ſanè,dicárque ligonibus apta:
    Ruſtica dum vitæ ſim ſine labe meæ.
Calloſis manibus glebas fregere Sabinæ.
    Caſtior his Virgo nulla Latina fuit.
At non Matronas tales æquare vetabor;
    Moribus & factis annumeranda meis.
Qui bene noverunt, nullo me crimine damnant.
    Noſtra (velim,quæras) fama pudica manet.
Illam tu primus læſo libabis honore:
    Ut citharæ pretium nobile dicar ego!
Conſtarent audita nimis tua barbita magno,
    Quæ cupio ſemper Virgo manere,mihi.
15. Adde: quòd exſilij locus hic epicedia poſcit:
    Non Feſcenninos,cantica blanda,jocos.
Tempus plangendi. gaudendi ſera ſequentur
    Tempora,poſt longas non properata moras.
Interea Salicum ſuſpendimus organa ramis.
    Non patitur cantum terra aliena tuum.
Flere vacat. nondum maturi cedite riſus.
    Pronior ex oculis triſtibus unda cadit.
Undique circumſtant me tot mala,tótque dolores;
    Littora quot conchas, gramina campus habet.
Mole ſub hac læter! frontémque ad falſa ſerenem
    Gaudia,cùm mentem nubila mœſta premant!
Immò ais, hoc ipſo, tibi opus cantore marito,
    Qui pellat. fateor; pellere multa queas:
16. Quod niſi jam mecum ſtatuiſſem vivere ſola,
    Et ſic *bis genito* vivere certa *Deo*:

Uni

Uni forte tibi poteram promittere tædas,
Et canis, & mulces, & placuisse potes.
Non adeò à plectris hic noster sexus abhorret.
Inter Pierides nos quoque turba sumus.
Quæ procùl Aonios distinguunt vocibus hortos,
An non sunt Musæ,térque Puella triplex?
An non Calliope liquidas dat gutture voces?
An non divinos nostra Thalia modos?
Omnia si fias, nunquam Polyhymnia fies.
Ter centum similes vinceret illa tui.
Hanc quoque contemnam. *video meliora, probóque:*
Sed non, ut Colchis, *deteriora sequar.*
Ergo, quas cœlo pridem sacravimus aures;
Parce supervacuâ SARGA ferire lyrâ.
Altera quæ medio scintillat in æthere, major
Me Lyra delectat. cedat in Orbe minor.
Nonne vides volucrem, quæ à laude vocatur Alauda,
Aëriâ sursum tendere in astra viâ.
Describit pennis gyros, & circinat auras.
Quò propior cœlo est, suaviùs illa canit.
Sidereis lapsus de Sedibus Aliger oscen,
FRANCISCI steterat debilis ante torum.
Víxque chelyn strinxit; cùm plaudit & exilit æger:
Ut præ lætitia pectora penè crepent
Iste, precor, fidicen nobis quoque ludere pergat.
Angele caste veni: *Pamphile* noster abi.



Th.



TH. ROPERTVS GAMBARA POETA LAUREATVS

URANIÆ.

Argumentum EPISTOLÆ QUINTÆ.

INgenio, quanto valet , ſua vota peragit; multas ſcilicet ſtrophas coacervans, ut Vraniam in ſerica retia conjectam obtineat, inter cæteros, etiam Echo adhibetur; figmentum utique Poëticum.

Synopſis.

1. *Poëtarum nobile genus, vigor, ſpiritus, divinitas.*
2. *Echo Parnaſſia, familiaris Poëtarum Dea. hanc ſcilicet vaticinatam fuiſſe: Vraniam, Gambaræ fore Sponſam.*
3. *Dearum aliquam contemnere, non eſſe tutum. quod malo ſuo teſtentur Cydippe, & Anaxarete.*


4. *Quantum hoc? Poëtas sacros vocari: ideo & statuas illorum honori antiquitatem posuisse.*

5. *Lesbiam, Corinnam, Cynthiam, Neæram, aliásque Veteres Romanorum puellas, sua nomina posteris, facultatis Poëticæ beneficio, transmisisse.*

6. *An non Lesbia Sappho, Polla Argentaria, Elpis Boëthiana, feminæ, & ipsæ Poëtriæ? accenseatur & Vrania, tantò dignior illis futura.*

7. *Quid? ipsum Deum, rerum omnium conditorem, à Græcis nec frustra, nec indecorè, summi Poëtæ nomine honorari! specimen artis ipsammet Vraniam esse; nobile figmentum; Carmen examussim compositum, suis constans numeris ac metris.*

8. *Quid ergo dubitet in manus æmuli artificis convenire? carmen ad Poëtam spectat. Pulchriùs facturam Vranien, si facilem se præbeat. duriusculis versibus offendi aures.*



TH.

TH. ROPERTVS GAMBARA

URANIÆ.

HAnc tibi transmitto, cœleſtis Virgo, ſalutem:
Quæ nunquam reddi, te niſi dante, poteſt.
Fallor: an ora rubor ſubit, & miratio mentem!
Méque priùs damnas, quàm prober eſſe reus!
Perlege, quodcunque eſt, nihil hæc tibi charta nocebit.
Suſpectâ non eſt illa notata manu.
1. Scribimus inſontes: niſi forſitan alma Poëſis
Fraudi, vel probro ſit mihi caſtus amor.
Carmina dant vitam: revocantur carmine Manes.
Siſtuntur volucres Solis euntis equi.
His quoque, cùm vultum tenebras invadere ſentit,
Luna laborantes corrigit ægra boves.
Concita Pierio ſternuntur fulmina cantu:
Adque pedes, alâ deficiente, cadunt.
Vatibus ut Dij ſunt; ſic Vates cura Deorum.
Implentur ſacro Flamine, quando canunt.
Ora ferox quoties pallentia Spiritus intrat:
Corporis exuimus pondera, Diíque ſumus.
Quod locus, &, quantā premimus, quoque ſella fatetur.
Cùm trepidans patior Numen, & ipſa tremit.
Ac ſimul hinnitum ſonipes attollit, & alas:
Gaudet, & ingenti terga fragore quatit.
Igneſcit facies: coma turbida ſurgit in altum.
Bullit, & undanti ſanguine vena fremit.
Antra ſonant: fumant rupes, ſilvæque moventur.
Exſultat vivo ſpumeus amne latex.
Eſt aliquid, medio ſubduci pectora mundo.
Aſpectu Phœbi ſic propiore frui.

Si videas, totâ perculsa movebere mente;
Et dices: Superos hic habitare puto.
Ne dubites, habitant, nostróque in corde morantur.
Delius hic sedem fixit Apollo suam.
Me quoque præfecit luco, Montíque bicorni.
Officium nobis utile spero fore.
2. Est locus in medio Parnassi vertice, juxta
Fontem, quem scalpens ungula fecit equi.
Vallis ibi platanis & amicâ consita lauro,
Herbida vivaces ponè residit aquas.
Circumstant modici colles: formámque theatri
Exhibet incurvis silva reducta jugis.
Pegaseo de fonte fluens, per gramen & herbas,
Purior illimi rivulus exit aqua.
Hìc ego, dum saltus, devexáque confraga lustro;
Obviáque incertis profero verba sonis:
Clara repercussæ me vocis imago salutat:
Cúmque loquebar, *ave*: vox remeavit, *ave*.
Intremui circumspiciens. nihil usque videbam.
Protinus agnovi Montis adesse Deam.
Echo, dulce decus, nostrarúmque una sororum,
Alloquor: infelix ecce *Poëta* tuus.
Heu miser, & curâ thalami non anxius unâ!
Unam, non multas, in mea vota peto.
Sed quod mireris: quæ dat mihi vivere, non vult,
Quamvis sollicitem, nubere Virgo mihi.
Nescio quem Sponsum nostro præponit amori:
Cujus percipiat Mentis in aure sonum.
Qualem credideram tantummodo Corporis esse,
Deberíque meis auribus: illa negat.
Vaticinare soror: conjux erit illa petentis,
Quæ festiva procos ludere quærit? *erit*.
Quæ modò stat nostro metuendæ cura repulsæ,
Semper in afflicto pectore stabit? *abit*.

At-

Atque adeò Uraniæ ſocianda jugalia vincla
Duratura putas, & fore grata? *rata.*
Si rata ſunt, cur ergo fugit, velut avia Daphne:
Tam citò, quam remis concita navis? *avis.*
Opto: ſit Halcyone; Ceyx ego. proſpera curret
Tunc vita. ad nomen, *Vita*; remiſit, *ita.*
Sufficit. in noctem declinat veſpera dices.
Commodiùs reduci cætera manè. *mane.*
Cur maneam? Dic ergo: meas cupiátne fovere
Spes, an ludibrio ducere malit? *alit.*
O alat. interea reſonent mea carmina ſilvis.
Ingeminet voces lætior Hymen. *Hymen.*
Dixerat: exſilio, mecúmque audita reporto.
Jam ſaltem, Uranie, durior eſſe nequis.
Irridere Deam, (certè eſt Dea Pieris Echo:
Quamvis reſponſum det breviore ſono.)
Irridere Deam, vanóque eludere faſtu,
Conſultum non eſt. haud ea tuta fides.
Scis, quantum obfuerit deſpectus Acontius olim
Cydippæ: pœnas Corporis ægrà dedit.
Quòd contempſiſſet, coram præſente Diana,
Verba Pharetratam teſtificata Deam;
Febribus incaluit: nec erat ſpes ulla ſalutis.
Pœnituiſſe, ſimul convaluiſſe fuit.
Tanti etiam refert, non temni Numina: ſolo
Quando vel in pomo ſe quoque culta velint.
Si potes exemplis veterum pœnisque moveri.
Cypris Anaxarete Virgo ſuperba fuit.
Atque ideo in ſaxum membris concrevit obortum:
Diriguere manus, diriguere pedes.
4. Cur me deſpicias? non ſunt de plebe Poëtæ.
Cedat Laurigero turba profana choro.
Priſca Sacerdotes Phœbi nos Roma vocavit.
Eſſe quid hoc tanto majus honore poteſt!

Marmoreis quondam ſtatuis donamur, & aris.
Quid ſupereſt, niſi thus, prociduúmque genu?
Inque foro Vatem ſignata orichalca loquuntur,
Proxima purpureis Regibus ora gerit.
Quòd vultus altis ſublimes fontibus extant:
Fontis Caſtalij numine ſurgit honos.
Effigies ſteterat Stiliconia bella canentis
Ænea, Trajani conſpicienda Foro.
Tam Verona ſuo, quàm Mantua debet Alumno,
Altiùs erectum tollere viſa caput.
Plus dedit Andinus paſtor tibi, Roma triumphans:
Quàm dederit niveis Scipio vectus equis.
5. Dic: ubi ſciretur toties celebrata *Lycoris*?
Si non à Gallo ſic celebrata foret.
Lucet adhuc hodie facundi clara PropertI
Cynthia: cœleſtis, plus neque lucis habet.
Oppetijt duram cum paſſere *Lesbia* mortem:
Sed vivit verſu, docte Catulle, tuo.
Dilectam *Lalagen* tranſcripſit Horatius ævo.
Quid plus à Fabijs Paulla recepit avis?
Gracchorum fuerit grandis Cornelia mater:
Non minùs eſt Flacco *Lydia* nota ſuo.
Famoſam fecit Phœniſſam Muſa Maronis.
Hujus enim Dido regia claret ope.
Exſulis ob meritum, toto non exſulat Orbe
Nominis & Formæ fama, *Corinna*, tuæ.
Fruſtra ſe gemmis coluiſſet pulcra *Neæra*:
Ni tuus auxiſſet, culte Tibulle, decor.
Illa, illa ingenuæ frontis notiſſima *Laura*,
Petrarchæ Lauro vindice, nota viret.
6. Eſt ubi vos ipſæ clarum noménque decúsque
Quæritis: & cœptis blanda Thalia favet.
Hinc decus æternum famoſa Poëtria *Sappho*
Promeruit, Muſas inter habenda novem.

Quid

Quid memorem *Pollam*? Polla Argentaria Vates
Pharsaliæ Vatem juvit & ipsa virum.
Bella per Æmathios plùs quàm civilia campos
Fertur Lucano concinuisse suo.
Tu quoque digna tuo (fuit ille Boëthius) *Elpis*
Conjuge, Romulidas clarior inter eras.
Elpis, iô, sperata tenes encomia famæ:
Súbque tuo Clio nomine tecta latet.
Tales, URANIE, felix Heroidas æqua:
Quæ tibi perpetuæ copia laudis erunt.
7. Utque velis, tamen ipsa nequis odisse Poëtas.
Forsitan ignoras, quis tuus auctor erat.
Numinis, URANIE, nihil es nisi *Carmen* amantis:
Virgo divinis emodulata modis.
Qui te composuit, nitidúmque exegit ad unguem;
Ille Pelasgorum voce *Poëta* fuit.
Finxit enim, figulíque modo sua vasa rotantis,
Corporis eduxit singula membra tui.
Finxit: ut ex cerebro lepidas miscente figuras,
Sacra Poëtarum Carmina mille fluunt.
Cùm tam formosam sacro te fudit ab ore:
An non tunc *cedro digna* locutus erat?
Carmen *Parthenium*, scriptúmque in *Virgine charta* es.
Carmen, quod jungi versibus opto meis.
O Nymphe gracili constans pulcerrima metro:
O ebur, ô Libycæ dente polita feræ.
8. O Carmen minióque rubens, & pumice rasum!
Condere quale potest ingeniosa manus.
Regali folio impressum Rex edidit ille,
Edere qui potuit non nisi solus Amor.
Oblectat Superos tam suave Poema: suíque
Nobilis auctorem mulcet Imago *Deum*.
Ah! modò ne versum cogar te dicere durum:
Aut malè tornatum, degenerémque sibi!

Ille placet,qui lenè fluit. placet illa Poëtæ,
Cujus amica nihil vena rigoris habet.
Da mihi te facilem, ſicut mea carmina ſe dant.
Illis aſperior ne, precor,eſſe velis.
Ecce, velut Sponſæ dilecta ad vincula currunt.
Ecce,fluunt liquido nil remorata pede.
Sponte ſua numeros,ſine vi,glomerantur in aptos.
Sponte ſua veniunt tu quoque ſponte veni.
Et venies. pendent cognatæ ut vitibus uvæ :
Carmina ſic hærent Vatibus uſque ſuis.

URANIA
TH. ROPERTO
GAMBARÆ POETÆ LAVREATO.

Argumentum,
EPISTOLÆ SEXTÆ.

PErlectæ Epiſtolæ Laureatæ Th. Roperti (etſi amatoria, quaſi à Paride ad Helenam ſcripta videri poterat) Vrania adeò non arriſit: ut potiùs & ipſum fabulatorem exeſſe juſſum, & argumenta ad perſuadendum ab auctore conficta,ſolerter exploſerit.

Syno-

Synopsis.

1. Vraniam horrere nuptias Poëtarum: utpote, quorum verba ſint vana, fides fluxa, vita fabula.

2. Quod enim aliud genus hominum tam heteroclitum, ſuiſque Phantaſijs indulgens?

3. An, & quomodo Poëtæ Sacri.

4. Gigantomachia Poëtarum deteſtabilis, contra cœlum & ſidera Superóſque veros euntium, imponentium falſos. illorum quippe mendacijs totum Olympum inquinari.

5. Quid faſtuosè jactet ſtatuas Poëtis poſitas? quando ipſimet plerique, hoc ævo, veriùs ſint ſtatuæ, quàm Poëtæ.

6. Adde: pleroſque ſic pretiosè æſtimari, ut clariſſimus quiſque egeat.

7. Adeoq; Vraniam non cupere ſuum nomen, à paupere Muſa, ad frigentem focum celebrari.

8. Quid autem juris Echo habeat in alienam voluntatem! matrimonia utique libera eſſe. cur ſibimetipſi Narciſſum ſuum non fuerit vaticinata?

9. *Si Vrania , ut Poëta vult, ipsa quoque sit Carmen Dei, Poëtæ omnium primi: ergo rectiùs in manus Autoris sui, unde prodierit, reventuram. proinde bene valeret Gambara cum Parnasso suo. sibi cælestem in cruce Sponsum præfixum esse.*

10. *Certè qualecunque Carmen dicatur Vranie: daturam tamen operam, ne inter profana recenseri possit.*

11. *Invitatur Gambara ad Patientis Christi Tragœdiam, in Monte Calvariæ peractam.*

URANIA
TH. ROPERTO GAMBARÆ POETÆ LAUREATO.

VT vidi, ut legi: (vidi, legique volumen)
Visa mihi, & lecta est fabula: sicut erat.
1. Mene tuæ fidei, men' despondere Poëtæ!
Avertant Superi, Dij mediique juvent.
Verba Poëtarum folijs leviora caducis,
Qualia brumali flamine lapsa volant.
Ludicra quis credat mendacia fingere doctis?
Hæc ars, hæc vestri vomeris alta seges.
Integra stipantur figmentis horrea vanis:
In cumulum plaustris exonerata ruunt.

Ede:

Ede: quis ex vobis insedit Pegason unquam?
Frena quis alipedis, quis juga vidit equi?
Non est, & nunquam visus fuit iste caballus,
Troja suum saltem capta fuisse probat.
Fons ubi? quem potans, secreti Numinis haustu
Ebrius, extemplo fata futura *videt*.
Vultus ubi? quem si videam, lapidescere cogar!
Tam rigidus colubris stantibus horror inest.
Aut ubi spirantes furtiva oracula silvæ?
Scilicet in ramis Phocidos illa sedent.
Scilicet ex illis, motâ velut arbore poma,
Cúmque suis nidis decutiuntur aves.
Gurgite limoso natat anceps gloria Vatum:
Quæque etiam summa est, sæpius imma petit.
2. Ut verbo dicam: furor est sapientia vestra.
Idem Thyrsigeros fonticus humor agit.
Quando insanitis, sanos vos esse putatis:
Ille magis, sibi qui credit inesse Deos.
Quisque suos patimur manes, clamatis & ipsi.
Constat vos cunctos pectore posse pati.
Spes, timor, ira, dolor: (sed amor magis omnibus istis)
Omnibus in libris pagina vestra canit.
Sirenum quod in ore sonat, quod in Ægide terret,
Quod salit in Circe, corde Poëta fovet.
Invenies aliquos, emotâ mente, putantes,
Omnia rimari, muneris esse sui.
Scire, quid occultè frater Junonis in aurem
Dixerit; atque viro non bene nupta soror.
3. At sacer est Helicon; Sacer, Ætheriúsque Poëta,
Ignea divinæ semina mentis habet.
Tota Sacerdotum titulo nos, scribis, honorat
Curia Achivorum, Dardanidúmque Domus.
Vos sacri! qui pro Templis delubra subitis;
Fulgentes tenebris, impietate pii.

Vos

Vos Sancti! vestris qui Dijs affingitis omnes
Nequitias: quævis furta probante Jove.
Vos sacri! quorum doctrina & vita profana est:
Unguis equi, *crater*: Delphicus, *Ara*, tripus.
Vos Sancti! quos dedecorum scelerúmque magistros
In vitium præceps esse Juventa probat.
Vos Sacri! per quos discincta licentia regnat:
Exuitur virtus: induitúrque Venus.
Auri *Sacra* fames: morbus *Sacer* esse Dianæ
Dicitur: & *Sacer* est, quem sua furca gravat.
Hoc fortasse modo, si divinare licebit,
Ex vobis aliquis ter sacer esse queat.
Quo Gallus Corybas Cybeleia tympana pulsans:
Mystica Curetes dum Jovis arma rotant.
Multa per *Antiphrasin* veterum sunt dicta Sophorum.
Vísne per hanc titulis pondus inesse tuis?
Sic *Parcæ* parcunt: *lucus* caligine lucet.
Eumenides, Furias, lingua jocosa vocat.
4. O detestandi, genus exitiale, Poëtæ!
Per quos nec Cœlum sordibus omne caret.
Totus adulterijs vestris impletur Olympus.
Omnibus ex stellis Unica Virgo nitet.
Quid facit in Superis Ganymedes Trojus oris?
Sparsáque cæruleas Cassiopeia comas?
Quid faciunt Hyades, & mœsta Plejade natus?
Quid Nonacrinæ Pellicis Arcas agit?
Falsa avis; ausa sinum pulcræ incestare Lacænæ,
In medio petulans Æthere *Cygnus* ovat.
Leda sciet meliùs, quo tempore venerit ales:
Tunc saltem in nido non fuit ille suo.
Crimina plura micant: scintillantésque choreas
Prô pudor! ex alto fabula turpis agit.
Ante chaos vestrum fulsit castissimus Æther:
Nunc nimis à facie dissidet ille sua.

Non tanto in cœlum pugnavit Phlegra tumultu,
Horridus Ægeon, Enceladúsque gigas.
5. Nempe etiam veſtri vultus ducuntur in ære:
Marmoreóque levat celſa columna tholo!
Accipio hoc omen, vigeat modus iſte loquendi,
Laus Statuis non eſt invidioſa tuis.
Multi præ vivis, fateor, veríſque Poëtis,
Tantum ſunt *ſtatuæ*: mutáque ſigna voces.
Tam rigido miſeram conſtringunt frigore chartam.
Tot ſpargunt febres, tótque venena vomunt.
Non omnis, quicunque canit, dicetur Apollo:
Nec quivis vacuans pocula, Bacchus erit.
Quantula res, aliquem metro contexere nodum:
Striduláque in numeros cogere verba ſuos.
Sæpe aliquos crines vincit Peneïa Daphne,
Ut ducibus credas Cæſaribúſque pares.
Proteus urticis caput, atque paluſtribus ulvis,
Stramineóque liget digniùs orbe Ceres.
6. Quid? quòd egeſtatis *Parnaſſus* labe notetur!
Non multum argenti clivus inanis habet.
Nec *Mons Svvacenſis*, quem profert alta Tyrolis,
Uncis foſſorum tot fabricatus hiat;
Quot *Mons* iſte *biceps*. vix ſpes tamen ulla metalli:
Quale decet Reges: unde corona micat.
Res anguſta domi vexat plerumque Poëtas.
Vilius ingenium ditior arca beat.
Quò mihi ſit conjux ornatus imagine macra:
Squallida nil adipis ſi trahit inde penus.
Quò foliis aliquot ſuccinctus tempora glaucis?
Qualia cum ſalicis flore capella metit.
Quid proſunt virides, marcentia ſerta, corymbi?
Si nunquam ex hederis aurea gutta fluit.
Quò calor, & fervens Thebano *Statius* æſtu?
Si tenuis friget menſa focúſque domi.

Pau-

Paucos viderunt *Lucanos* ſecula Romæ.
In tota locuples unicus Urbe fuit,
Quid multis opus eſt ? ipſe inſimulatur Homerus
Pauper in anguſta conſenuiſſe caſa.
Scribenti Iliadem, Phrygióque Agamemnone bello
Implicitum,& ſummi Dorica caſtra Ducis:
Si vellet placare famem,ſine nectare, cocta
Servulus in patina piſa fabáſque tulit.
Nupturæ in dotem numeravit carmina natæ.
Mæonides nullas ipſe reliquit opes.
Vendidit Euripides lacerum Sophocléſque cothurnum:
Exhauſti merces pulveris,*hircus* erat
Vilius hoc aliquid ! quo ſex in fercula fortè
Digeſto, rediit triſtis & atra fames.
Ah miſeri ! totam noctem impalleſcere chartis !
Pervigiles nullo manè rubere mero !
7. Sic ſaturat vos ſolus Honor ! quo me quoque vultis
Paſcere. ſed fumum non reor eſſe cibum.
Scilicet ut dicar famoſa Poëtria ! nunquam
In vacuas laudes ambitioſa fui.
Lesbia cum Lalage, cantata Neæra , Lycoris,
Nomina Virginibus ne memoranda quidem:
O quantò ſatiùs, quantóque decentiùs eſſent
Tradita vel ventis,vel putrefacta ſitu.
Malo pudicitiæ cum laude obſcura latere;
Quàm tua cum probro,Naſo,Corinna legi.
Nondum me tædet caſtam producere vitam.
Durat adhuc primus Virginitatis amor.
8. Sed promiſſa fui. Quis me promittere quivit ?
Cujus mandato Sponſa vel uxor ero ?
Nimirum cultrix nemorum reſonabilis *Echo*,
Hoc tibi jam pridem vaticinata fuit.
Credere mira jubes,ſi tam quoque vera juberes:
Deciperes aliquam non ſine laude ſua.
Quid mihi cum ſpectris habitantibus antra ferarum:
Aut prope convalles prætereuntis aquæ ?

Quam Juno punivit, erit mihi pronuba Juno?
	Illa memor noſtri, quæ nequit eſſe ſui:
Nam memor eſſe ſui quî poſſit *vocis Imago*?
	Aut qualis tandem vocis Imago Dea eſt?
Non igitur ſpondens alienæ fœdera tædæ,
	Ad nutus potuit flectere vota tuos.
Ipſe peroraſti: quæſita noviſſima carptim
	Ipſe recepiſti. Tu tuus augur eras.
Scilicet agnoſcam clamantem in valle Sibyllam:
	Quæ nunquam prodit, nec tibi viſa fuit.
Prodierit, fueritque tibi per ſomnia viſa:
	In me quid Nymphe garrula juris habet?
Improba connubijs ſi tam bene præſidet Echo:
	Faviſſet thalamis rectiùs antè ſuis.
Non potuit ſupplex lacrymis, gemitúque remiſſo
	Narciſſi celerem ſiſtere queſta fugam.
Eluſit cupidas Juvenis Cephiſius ulnas.
	Montibus ex illo ſpreta pudore latet.
O lateat. quid enim ſævo tranſcribit amori
	Invitam? ſortes temperet illa meas!
9 Aut ego Virgo pias ibo intemerata ſub umbras;
	Et ſpolium de me nullus habebit Hymen.
Aut ego te potiùs; quando Deus ipſe Poëta eſt,
	Quàm vilis Lenæ perdita verba ſequar.
Ecquid ais? *numero, menſura,* & *pondere* conſto!
	Virgo divinis emodulata modis!
Ergo ego ſum Verſus! ſum Carmen amabile magni
	Numinis! ô faveo laudibus ipſa meis.
Et quid ni faveam? quantum eſt, ex arte placere!
	Si cedro, qui me, digna locutus erat!
Gambara, quis poſſit blandos odiſſe Poëtas?
	Ingenij partus, Carmina fuſa ſumus.
An non quodque ſuum genitorem pignus amare
	Cogitur: & genitor pignus amare ſuum?
Quòd ſi vera canis, nimirum debeor illi;
	Qui meus ut Vates, ſic meus auctor erat.

Deſi-

Deſine velle meum Metrum convellere. qui me
Condidit, hic habeat Carmen amétque ſuum.
Ille manus dedit atque pedes, quibus ambulo. conſtant,
Ut nôſti, pedibus carmina quæque ſuis
10 Si ſum Carmen ego: caveam, ne cenſear inter
Sapphica: nam Sappho lubrica Muſa fuit.
Sed neque contingat me Vates Teïus, opto.
Tu quoque nil caſti mollis Adonis habes.
Herois potiùs cur non *Heroica* tentem?
Quorum Principum eſt: *Arma virúmque canam.*
At non Æneam, Troiæ qui pulſus ab oris
Multa tulit terrâ, multa pericla mari.
Arma virúmque canam, cœli qui miſſus ab oris
Mira quidem fecit, ſed graviora tulit.
Arma, Flagella, Crucem, galeámque ex vepribus hirtam:
Vertice geſtantem ſpinea ſerta *Virum.*
Arma: Catenarum nodos, & vincla columnæ:
Diráque portantem corpora flagra *Virum.*
Arma: truces clavos, laterique Haſtile refixum:
Perfuſúmque ſui Sanguinis imbre *Virum.*
11. Hæc majore ſono, cœleſti innixa cothurno,
Non Phryga ſemivirum Virgiliana canam.
Vergiliæ pro Virgilio plorantia fundent
Carmina. ſeptenis aſſociabor ego.
Ite profanato verſus Helicone profuſi:
Cúmque Elegis lepidi mollibus ite joci.
Non ero laſciuum, *prætextatúmque Poëma*:
Quale ſed in *charta Virgine* pinget AMOR;
Rubricâ dorſi, ductis vibicibus altè;
Prodiga de ſciſſo corpore vena fluet.
Pumice non poliar; ſed adacto ad pectora *ſaxo*,
Quod Stridonenſis Dalmata fecit, agam.
Tegmine purpureo nolim ſpectanda notari.
Non eſt conveniens luctibus iſte color.
In *vili corio* flagris compacta rubebo:
Quale diu verſans cerdo parabit Amor.

Hoc

Hoc habitu si me vis *Gambara* noster habere:
Ad sacco indutam lugubris ipse veni.
Sin aliter sentis; neque nos hoc schemate curas;
Parnassi repetas claustra relicta tui.
Mons meus est Solymæ, quem sacra attollit *Oliva:*
Mons meus est, nomen cui sua *Calva* dedit.
Hic tragicos meditata modos in Syrmate longo,
Flens super extinctum, mortua lessus ero.
Altiùs egressæ, nobis hinc carmina Regis
Mœsta Palæstini, *Psalmus* & *Hymnus* erunt.
Nil aliud speres: instes, ut Apollo, licebit:
Protinus effugiens altera *Laurus* ero.
Quà potero, fugiam: quà continuare negatur;
In virides arbor versa manebo comas.





SENSUS III.

ODORATUS.

Epiſtolarum

Liber Tertius.


Quid odore gratius? quid odoratu innocentius? Num & iſte Senſus, medium inter fratres locum occupans, inſidiatur Uraniæ, Dominæ ſuæ? invenietur ergo Anima, ideo Deum Sponſum deſertura, ut delibuta meretricijs unguentis, tantò licentiùs frui poſſit, aut florum brevem ſentire fragrantiam? ſed nempe ut cupiat olfactus animæ nocere , ſummas vires non habet ad prava trahendi. certè S. Auguſtinum , utcumque à ſenſuum conflictu crebriùs exagitatum, non traxit. ſic enim lib. 10. Confeſſ. c. 32. *De illecebra odorum non ſatago nimis. cùm abſunt, non requiro: cùm adſunt, non reſpuo; paratus etiam his ſemper carere.* At enim D. Bernardus in lib Med. c. 14. omnia ſenſuum blandimenta ſuſpectat: nullum excipit. *Reſpicit oculus*, inquit, *& Mentis ſenſum avertit. audit auris & in-*



Faſciculus Myrrhæ dilectus meus.
Cant. 1. v. 13.

M. Küſell f.

& intentionem cordis inflectit. Odoratus cogitationem impedit, os loquitur, & fallit. per tactum libidinis ardor urit & incendit. Idem Serm. de vita & V. ſenſibus Animæ, licèt præ Guſtu & Tactu Odoratum commendâſſet, *utpote ſubtiliorem, quippe jam remotiora percipientem: fatetur tamen, ex toto carnalis delectationis expertem non eſſe; ſed eò tenuiorem habere, quò diffuſiorem.* Hæc Doctor, qui poſſit Myropola cœleſtis nominari. tot aromata ſpiritum ſpiritu refectura, in Cant. Cant. propinat Animæ; adeóque odoriferis thecis non infenſus. Vt ut ſit: patent exempla, teſtantur experientiæ; *oleo inungi fortes, balſamo molles:* hos roſas ſpirare, illos allia, virilis Anima Athletas imitabitur, non Sardanapalum. verbo: etiam per nares trahuntur ſemina nequitiæ. Quid? quòd in cubilibus, & convivijs, *dum regnat roſa, dum madent capilli,* pretioſi odores impenſiùs ad luxum incitent; voluptatem flagrantiſſimè promoveant. Quippeni ergo Vrania firmitatem animi & caſtitatem defenſura, etiam his ſe opponat. Nos B. Iacoponi pharamacopolæ, unguentarium Agyrtam adjecimus.



ODORATVS URANIÆ.

Argumentum EPISTOLÆ PRIMÆ.

PEr literas florido ſtylo ſcriptas, qualibuscunque poteſt modis, tenerrimum & fragrantiſſimum amorem ſuum Uraniæ inſpirat.

Synopſis.

1. Blanditur Odoratus Animæ, Dominæ ſuæ.

2. Sua tamen obſequia viciſſim agnoſcenda per odoriferos meatus ingerit; ob quæ nec Viſu, nec Auditu inferior duci debeat.

3. Se quidem non paſcere ventrem, oculos, aures: ſed cerebrum, nobiliſſimam Humani corporis partem.

4. Quanquam & in cônvivijs Veterum Romanorum, Perſarúmque, immò omni ævo odoramenta quoque adhibita prævaluerint. Quid epulæ, ipſæq; cœnæ Pontificum, ſine aromate?

5. Cur

5. Cur Odoratus non ametur, & amet? cùm pulcherrimi quique Iuvenes, in germina postea conversi amaverint, fuerintque in amoribus: hinc præstantissimi flores, herbæ saluberrimæ.

6. Quid Myrrha pretiosius? quid balsamo fragrantius?

7. Quid thure divinius? ejus odore ipsum Deum delectari.

8. Peccata Visûs & Auditûs, Olfactum acerrâ expiare; Sacerdotali quadam dignitate & prærogativa.

9. Cæterùm & Organum hujus Tertij Sensus, Naturam præstantissimum fecisse. sine naso, nemo sagax; cum indecoro nemo pulcher erit.

10. Formam & Majestatem imperantium, unicè à naso pendere.

11. Certè nasutos, non auritos laudari. Lustrentur Academiæ, Lycea, Stoæ, Curiæ, Templa.

12. Indicare etiam P. Ovidium Nasonem, quid longior acutiórue nasus portendat.

13. His de caussis, petit iste Sensus, ab Anima

præ cæteris teneriùs foveri ac diligi: Animam Spiritum esse; se plenum spiritibus odoriferis. nulli ergo castiùs nupturam.

ODORATUS URANIÆ.

1 AFflat odoriferam SENSUS tibi, Virgo, Salutem:
In medio vultu qui sua regna tenet.
Quid ni Regna loquar? tota est Panchaia iuris
Et Tellus Arabum, Gensque Sabæa, mei.
Paret Achæmenius cultor, fragránsque tributum
Mittit, & assiduo pastus odore Cilix.
Me Botane, me Chloris amat: vernantibus annis,
Utraque per campos læta virénsque Dea.
Te tamen, URANIE, si credis vera fatenti,
Præfero nobilius numen utrique simul.
Tu das & cerebro vires: neruísque meatus
Officio fungi posse benigna facis.
Te sine non fluerent scintillæ simplicis auræ:
Per quas halantis sentio flabra rosæ.
2. Inque vicem, quoties anima fugiente laboras:
Liquitur aut corpus, fessáque membra cadunt:
Naribus admoveo stacten, casiámque recentem:
Paulatim tremulus Spiritus inde redit;
Et color, & robur. fugiunt à corde dolores:
Venarúmque tenor certus, ut antè, salit.
Hoc casu, quid agant Oculi? quid juverit Auris?
Talia solus enim munia *nasus* agit.
Nobis debetur servatæ gloria vitæ.
Plus radio possunt cinnama, plúsque sono.

Præ-

Præstat ODORATUS. nec tota est vana voluptas;
Quam, licèt aëriam, spica Cilissa facit.
3. Abdomen fateor, pingui non impleo perna.
Ex nidore satur non parasitus erit.
Altiùs assurgo supra mantilia Gustûs.
Infra me dentes & gula bruta jacet.
4. Quid? quòd & Assyrijs, Latiámque tenentibus urbem
Regales sine me desipuere dapes.
Splendida fragrabant nostro convivia nardo.
Murrheus unguentum nobile fudit onyx.
Gramen Orontæum spirabat cœna Neronis;
Et Corcyreas citrea mensa rosas.
Gratius, URANIE, stratum tibi *sigma* parabo:
Si modò nos aliquo ducis habere loco:
5. Nec, quod amem, culpes: optémque admissus amari.
Est ab ODORATU non alienus amor.
Præcipuos Juvenes, florum modò nomen habentes,
Jámque omnes nostri juris, amâsse scias.
Narcissus, pulchérque comas *Hyacinthus*, amati:
Ignibus ille suis notus, & ille suis.
Huic nocuit discus: illum sua forma peremit:
Ambo jam prosunt germina culta mihi.
Pulcher *Atys* quondam, nunc pulchra est pinus in hortis:
Mutavit folio luxuriante comas.
Dilectíque puer moriens in funere cervi,
Plorat cupressus, qui *Cyparissus* erat.
Carpitur, ut plagas *Anemone* cærula sanet:
Sic ipsum medicus mactat Adonis aprum.
Vulnera quæ pando figit sus improba rostro;
Hæc, mora ni fuerit tardior, herba levat.
Quid *Crocus* & *Smilax*? an non fuit utraque Virgo?
Laudantur rubri mollia fila croci.
In mentham *Menthe* concessit. aquatica Lotos,
Indole servatâ nunc quoque lambit aquam.

Leucothoe ſudat, manántque ex cortice guttæ:
Unde Sacerdotum major acerra litat.
Populeis liquidum diſtillat frondibus aurum.
Affluit *electro* divite ripa Padi.
Sunt Phaëthontiadum lachrymæ: quibus uſa peremptum
Deflevit fratrem præfica Silva ſuum.
Caráque cùm fuerit *Clytie* notiſſima ſoli,
Flos novus ad Solis vertitur ora ſui.
Obſervat gyros igitur curſúmque mariti:
Cum ſurgente oritur, cúmque cadente cadit.
6. Quid melius *Myrrhâ?* fuerat ſata ſanguine Regum,
Progenies Cynaræ, multáque rixa procis.
In nomen converſa ſuum, poſt vota Deósque
Facta frutex. frutici nobilis humor ineſt.
Durat enim arcanis imbuta cadavera ſuccis.
Integráque, & nulla tabe ſoluta manent.
Purpureas mortes ceroma hoc ſancit in ævum.
Plebeias etiam trans mare nauta vehit:
Ægrotis medicos ut diſpenſentur in uſus.
Viribus his pollet lotus & unctus homo.
Me ſcit vera loqui Nilo circumflua Memphis.
Mumia, res cara eſt. hoc quoque nomen habet.
Servat munitos artus ab edacibus ævi
Dentibus: & mutilat, debilitátque necem.
Si mihi te dederis, neque dedigneris amantem:
Tecum etiam Phario more videbis agi.
Quod ſemel amplector, nec in ipſâ morte relinquo
Corpus; & æterni nectaris imbre rigo.
Defendo à colubris: ſervo putredinis expers.
Effugies per me ſecula, Fata, ſitum.
Dilectæ exuvias rapiam de faucibus Orci:
Inque tuos cineres myrrhea dona dabo.
Adijciámque ſuper ſudantia balſama funus.
Tantò fragrabit poſthuma fama magis.

7. An quoque thura pijs adoleri manibus optas,
Dona poteſtatis relligioſa meæ?
Thura Deum placant: hominúmque petentia triſtem
Vindictam gratâ crimina nube tegunt.
O quoties meritum laniarent fulmina Mundum!
Per me ſi poſſet mittere tela TONANS,
Offundo ſuaves nebulas, velamina fumi,
Apta oculos etiam fallere Cœlicolûm
Qualem ſuccendit pater objecítque Noëmus:
Cùm ſalva Armeniæ conſtitit ARCA jugis.
Dúmque Deus noſtræ ſuffitu paſcitur aræ;
Exarmo tacitè; ſurripióque faces.
Illecebra hac captus demi ſibi tela triſulca
Vix ſentit: placiti tantus odoris amor.
Utque ſolet genitrix plectendum abſcondere natum
Patris ab irati præcipitante manu:
Sic interpoſito celans peccata vapore,
Eripio pœnis, quas meruere rei.
8. Auditu & Viſu quidquid peccatur in Orbe,
Expiat Olfactus: pro populóque *facit*.
Jam mereor mundi communis Myſta vocari:
Terrigenûm culpas deleo thure meo.
9. Adde: quòd ad cauſſas humanæ ſortis agendas,
Senſus hic in pretio eſt, utilitérque ſagax.
Sive Forum viſas, merces empturus, iniquum:
Sive Palatinos, Regia tecta, Lares:
Si non olfacias nummum, technáſque latentes:
Fraudibus & centum decipiere dolis.
Præmoneo: *teneris* opus eſt hìc *naribus*. aula
Vulpes aſtutas inſidioſa tegit.
Qui naſo caret, accipiet: manus improba qualem,
Aut crepitans roſtro candida format avis.
Laudentur, ſi vis, oculi; laudentur & aures:
Sed naſus pars eſt ſuſpicienda magis.

Fronte licèt niteas alta: ſtet eburnea cervix:
Involitent nigræ colla per alba comæ:
Pingat flamma genas: flagrans roſa ſurgat ab ore:
Fulguret ex oculo mirus utroque decor:
Si naſum tamen aut nullum, aut fortaſſis ineptum
Vultus habet: ſpeculum conſule, turpis eris.
Decedat clavo talis, puppémque relinquat:
Nec piſces, nec aves, terrigenáſue reget.
Ille nec in terris bigam, nec in æquore cymbam
Torquebit: nullis Faſcibus aptus erit.
10. Majeſtatem olim naſus regnantibus addit.
Egregios index arguit iſte viros.
Quique aquilæ in morem modicè curuatur, & extat:
Dignior eſt aquilis Imperióque Jovis.
Effigies Veterum luſtrentur ab Alpibus usque:
Claruit hoc ſigno Romulus atque Remus.
Dentati, Numa, Scipiades, Naſica, Camillus:
Armáque Serranus ſed magis arva colens.
Et Fabius Faſces juſſus capere inter arandum:
Vt dignus trabea, ſic meliore faba.
Tempore, quo Conſul bobus juga dempſit, & hoſtes.
Dempta catenatos ſub juga miſit ovans.
Claruit & Brutus: libertatémque peroſus
Cæſar; Julæis Julius ortus avis.
Quid *Conſtantinum* decuit magis? ille verendus
Frenavit Latium, Memnoniáſque plagas.
Pérque ſuam *ſolitus barbam jurare* tyrannus.
Et meritus *Magni* nobile nomen *Otho*.
Poſt hos *Auſtriaci*, nulli virtute ſecundi
Fructibus & ramis ſtirps animoſa ſuis.
Rudolphus veterem tollens Habsburgicus arcem
Celſiùs: ut ſummus ſidera pulſet apex.
Albertus ſapiens, & *Maximus Æmilianus*,
Notus aquis, notus Montibus, Oene, tuis:

Carolus

Carolus (& qui non?) illuſtres pace vel armis,
Hoc ſigno vultûs enituêre ſui.
11. Hanc ſibi Naturæ ductu ſapientia ſedem
Eligit. in naſo docta Minerva ſedet.
Quis non contemnat Boeotos *naris obeſæ*?
Plerumque his etiam *craſſior auris* ineſt.
Naſutos, non auritos, laudare ſolemus:
Nec probro eſt naſus longus; at auris erit.
Hinc reſonant rhonchi cenſores uſque timendi.
Ægrè quos meritus rabula ferre poteſt.
Odit Ariſtarchus: Momúſque & Zoïlus horrent;
Et capiunt paſſu quadrupedante fugam.
Quam ſcribet Satyram, *facies cui planior ovo eſt?*
Víxque ſtyli modica parte notata ſui?
Ille Tragœdus erit, cui nec levis umbra cothurni
Prominet in vultu: ſcenáque tota patet!
Quid referam Senecas, Lucanos atque Marones;
Et reliquos, quorum Carmen acumen habet.
12. Tu quoque Pelignis felix ſumpſiſſe Camœnis
Diceris hinc nomen, NATO Poëta, tuum.
Dúmque Helicon ſtabit; dum Laurus ſacra virebit,
Cingent & crines Laurea ſerta tuos.
Naſo Delicium Phœbíque & Phocidos audit.
Naſonem Dryades Nereidésque canunt.
Illius numeros, biga florente Cupido,
Detulit in Matris, vectus olore, domum.
Ipſe vel audito Naſonis nomine ſolo
Gaudet, & ad vivas Pegaſus hinnit aquas.
En, quid ODORATUS valeat, quid gloria naſi.
Auditus cur me ſit potiore loco?
13. Virgo pari nubat, quæ vult bene nubere. lites
Diſparitas ſemper multáque damna tulit.
Spiritus es. quid me, mulcet niſi flabilis aura?
Non mulſit Cephalum tam bene, Procri, tuum.

Spiritus es, per me, ſpirando ducitur aër
    Vitalis. Titulus te facit iſte meam.
Pone metus: non ſum caſti prædatur honoris.
    Te cupimus, ſalva virginitate, frui.
An non, quæ campis ſurgunt argentea noſtris,
    Signa ſui floris *lilia* Virgo gerit?
Nil magis innocuum *violâ*: quæ in limine Veris
    Pullulat, & primo germine rumpit humum.
Hac te, ſi pateris, fertum referente ligabo
    Serta alij lacerant, nos damus illa, proci.
Non ut te violem, violas affundo, cubabis.
    Caſtiùs in violis *inviolata* meis.

URANIA ODORATUI.

Argumentum.

EPISTOLÆ SECUNDÆ.

PAucis: Urania Senſui huic plurimùm favens, uti Virgines florum & ſertorum fragrantium amantes ſunt: argumenta tamen ejus odorifera & medica, molliſſimè refutat: ducta verò à pulcritudine phyſiognomica ſagacis naſi, & ab ipſo Ovidio Naſone, derididiculo habet.

Sy-

Synopsis.

1. *Vrania cum Odoratu, Tertio Sensu Corporis sui, simplici & fideli ministro, innocentibus facetijs, familiariùs jocatur. Laudat, & irridet.*
2. *Nimium Odorum usum capiti nocere.*
3. *Omnes penè flores herbásque, & arborum stirpes, in quibus enumerandis superbiat,* excepta lauro, *impuri amoris monumenta esse, fœdis Poëtarum fabulis conspurcata.*
4. *Inprimis autem* Myrrham: *Germen, quoniam salutare & condiendis funeribus aptum, per tam mira fabularum involucra tractum.*
5. *At qui propter Myrrhæ condimenta, balsamíque liquorem, quo funera imbuuntur; nullam sanè prudentem Virginem, & suæ lampadis oleo contentam; Myropolæ nupturam.*
6. *Quis nesciat lascivum floræ meretricis Regnum, apud Veteres Romanos; Assyriósque, magna incrementa sumpsisse? vario suffi-*

suffitu rosisque per triclinia, ad irritamentum luxuriæ dispersis. cæterùm solo odore qui pasci cupiant, paucos convivas inveniri.

7. Ornamentum vultûs humani, quod ait, magnam quidem partem à naso pendere: etiam signum acutioris ingenij & docilitatis esse: dari nihilominus Nasutos & deformes, & stupidos.

8. Ovidium Nasonem, quem suum prædicet, tantum non habuisse nasum in Italia, quantum in Scythia. ibi in exule productiorem factum.

9. Vt autem concedat, Nasum inter præstantia corporis membra numerari; nimirum hoc potiùs canes, præ hominibus gloriari posse.

10. Porrò Vraniam detestari procos, puellas naso suspendere solitos.

11. Pudeat, quòd à rhonchis, Nasonum classicis, jactantiùs famam quærat.

12. Itaque rectius facturum Odoratum, si Animæ, Dominæ suæ, se submittat, & retento naturæ ordine, Visui atque Auditui cedat.

URANIA ODORATVI.

1. CAra ſalutantis Dominam fragrantia chartæ
Reddita vix cœpi ſolvere fila manu.
Fallor: an Elyſijs, dicebam, afflamur ab hortis?
Aſpirant Zephyri: tota papyrus olet,
Abſque tuo poteram dignoſcere nomine certum
Auctorem. ſed nec gemma videnda fuit,
Prodit ODORATUS proprijs ſe dotibus ipſum.
Quod ſatis oſtendit *dux gregis ipſe caper.*
Cominus inter oves ſentiri atque eminus hircus
Ut poſſit; pars eſt muneris una tui.
Ecce rubens ſubitâ naſus tibi pingitur irâ:
Nec potes inſontem diſſimulare jocum!
Quid fremis? hunc Senſum ſexus tener æſtimat omnis.
Mitte ſupervacuos, Naſus amice, metus.
Auxilio cujus, memini, ſum ſæpe refecta:
Cùm jacui vitæ neſcia penè meæ.
Balſama linquentes animos admota reducunt.
Si quando ſubitis obſtupuere malis.
Membra reviviſcunt; redeúntque in corporis uſum:
Vt ſolet affuſo ſurgere flamma mero.
Ni te diligerem; nollem feſtiva videri
Cum famulo ſcribens eſſe jocata meo.
An majus nomen cupis extorquere mariti?
Difficile eſt, ſervo dicere, *noſter amor.*
Officium tranſire ſuum non debet alumnus:
Nec Dominæ dextrum poſcere verna latus.
2. Germina grata mihi, fateor, transmiſſa fuerunt.
Quis non Veris amet multicoloris opes?

Caltha, chamædriades, & certans nardus anetho:
Salvia, bettonicæ, lychnides, euphrasiæ:
Buphtalmi, heliopus, cava tintinnabula, bellis,
Junctáque Corycio roscida thymbra croco:
Missa quoque est Cyane; stellæque nitentis amelli:
Et cum chrysantho flos, amarante, tuus.
Laudo quidem studium desiderrúmque placendi:
Sed cerebro florum copia tanta nocet.
Læditur illud enim, nimióque offenditur usu.
Est modus in rebus, qui violatus obest.
Candida quin etiam, quia fortia, lilia turbant:
Ac tanto, quo sunt candidiora, magis.
3. Tolle rosas: Paphij detestor signa doloris.
Spina, est è Veneris vulnere facta rosa.
Nil castæ mentis redolent, nil virginis halant
Flores, quos Amathus, blandáque Cyprus alit.
Asseris & reliquos, juvenes plerosque fuisse:
Quorum florentes Dijs placuere genæ.
Hinc Metamorphoses lepidas ab origine mundi,
In tam diversis nomen habere locis.
Corpore mutato Cyparissum in funus odorum,
Languidulam quoque post fata fragrare animam
Scimus Amatorum varias spirare figuras:
Scimus flagitijs emeruisse decus.
Si Laurum excipias; nemo non desijt antè
Moribus, & vitâ floridus esse suâ.
Vincla pudicitiæ rupêre. hic turpis adulter,
Mœchus hic; hæc meretrix, hic catamitus erat.
4. Audes incestam tumulo producere *myrrham*!
Infra omnes frutices quæ tumulanda foret.
Myrrha patrem, sed non ut filia debet, amavit:
Fœda suæ pellex matris, avíque nurus.
Ah, quanto satiùs siluisset flebile monstrum:
Quod peperit diri ventris, Adonin, onus.

Ipse

Ipſe tamen Vates, qui prodidit: *Hæc nova tanti*
Utilis utcunque eſt, *non fuit arbor*, ait.
Hoc unguen mihi tu, pretioſáque Fata, minaris?
Stulte: ſed ex noſtro forſan amore ſapis.
5. Ne mihi promittas fragrantius, oro, ſepulcrum.
Spe tumuli, nubet femina nulla viro.
Sandapilam fabrices ex cedro, ſive cupreſſu:
Mollius *Vranie* viva jacebit humi.
Malo ſine unguentis ſub aperto degere cœlo:
Mortua quàm nigras uncta ſubire ſpécus.
Non patiar lachrymis me pellicis hujus inungi,
Antè ſcatens fieri vermibus eſca velim.
Dum pura ad caſtos Manes & libera vadam:
Anguineam ſatient putria membra gulam.
Nil coſtum, Cilicúmque libros, vel cinnama curo:
Dum bonus ex tumulo nominis halet odor.
6. At tu Romanos pergis jactare paratus:
Flore coronatos impediente ſcyphos:
Diſperſam nardi pluviam! ſtillavit amomum
Nubibus! Aſſyrius fluxit in ora liquor!
Exoptaſſe aliquos inter convivia, toti
Ut fierent naſus. tantus olebat Arabs.
Ut nihil infirmem: ſaltem hoc fatearis oportet:
Aëre qui ſolo paſcitur, hic miſer eſt.
Nemo, reor, ſitiens; ſeu quem premit ardor edendi;
Cauponem ſiccum vult vel habere coquum.
Spes quamvis animoſa, rei concedit: & anſer
Toſtus, nidorem ponitur ante ſuum.
Reſponde: Sponſam ſectaris, an illius umbram?
Si prius: aſſerti teſtis es ipſe mei.
Quòd ſi poſterius; ſequeríſque umbratica tantùm:
Sufficiet tenuis ſolus amoris odor.
7. Audio. non pulchra eſt facies, quæ planior ovo:
Sed trabe terribilis, vel ſcopuloſa, minùs.

Et *nimium* & *minimum* formam corrumpit utrumque
In medio Virtus, laúsque decora ſedet.
Exornat faciem naſus: ſed polypus ingens
Addit ei clivum ſæpe: quis ille decor?
Ut maneat Virgo, ſecat hunc *Euphemia* cultro:
Amputat & ſtricto *Margaris* enſe comes.
Virtutis ſpecies tantò formoſiùs aucta eſt.
Plana fuit facies viſa nitere magis.
At genius ſolers, at ineſt prudentia naſo!
Effatis vulgi ſæpius error ineſt.
Vidi naſutum, longo temone ferocem,
Ceu ſtupidum, doctos ante ſtetiſſe, bovem.
8. Et miraris adhuc, ſi quis puerilibus annis
Bullatus *naſum rhinocerotis habet*!
Naſo Poëta tuus te ſeduxiſſe videtur.
Ille quidem Latij fabula bella chori,
Omne tulit punctum: ſed non fuit illud Honoris.
Hoc punctum ſontes carnificésque ferant.
Quem laudas, Scythicum Patriâ proſcriptus ad Iſtrum,
Mandato juſti Cæſaris, exſul erat.
Verba Rei lugentis habes, culpámque fatentis:
Ingenio perij Naſo Poëta meo.
9 Denique quid magni eſt, quo vincit *odora canum vis*:
Quantula laus homini, ſuccubuiſſe feræ!
Ut ſis nare ſagax; nequeas æquare Melampum:
Dorceáque aut Lanachen, prævalidámque Napen.
Te trux Ichnobates, & Oribaſus, atque Lyciſca;
Et Dromas & Pterelas, te ſuperabit Hylax.
Si tantam in roſtro laudem famámque reponis:
Vertit aper ſolidam, vomeris inſtar, humum.
Sis licèt ingenti ſignatus gnomone vultum,
Umbrarum longas proijciente notas:
Nondum te tangit menſura proboſcidis ulla;
Marmaricus qualem barrus & Indus habent.

Quid

Quid? quòd odoratu, genus exitiabile, vultur
Præstat? at hic diras militat inter aves.
A septem stadijs prostrata cadavera bello
Præcipit in campis: móxque sub ungue tenet.
Desine jam tandem sponsum te obtrudere nobis.
Nos alter dudum pascit odore suo.
Ille mihi sacrum currenti aspirat aroma.
Cœlesti fragrans à *Salomone* trahor.
10. Utque tibi placeam; possum generosa placere
Pluribus. an nasum forsitan unus habes?
Me Botane, me Chloris amat, jactantior inquis.
Ergo te Botane, te tua Chloris amet.
Uraniâ tanto poteris renuente carere
Suaviùs. appendix tertia dicar ego!
Odi, qui nymphas *naso suspendit adunco*:
Quod tu sæpe facis: quod similésque tui.
Fallere credentes non est operosa puellas
Gloria. Simplicitas digna favore fuit.
11. Illud ridiculum: quòd fastu quæris honorem:
Dum jactas rhonchos, leno timende, tuos.
Dote mala fruere, atque indulge naribus uncis.
Quæ sapiet, talem nolit habere virum.
Aptior ad Martem cur non accingeris armis?
Pro lituis rhonchi classica rauca sonent.
Blandior alter amet: tu formidandus in hostes
Irrue: & hoc strepitu Suecica castra fuga.
12. Parce mihi saltem: nolo *Nasutia* dici:
Nec meus, ut spero, *Naso* maritus erit.
Contempsi *Auditum*: rejeci interrita *Visum*:
Me tibi submittam, qui nihil ejus habes?
Nube pari, scribis: tanquam si *Spiritus* esses!
Corporis es membrum. Spiritus esse nequis.
Mucorem ex cerebro debes educere; & almum
Aërio flatu continuare diem.

Visus & *Auditus* te sunt in honore priores.
Iste mihi rectam monstrat ad astra viam:
Hic docet, & vitæ tradit præcepta beatæ.
Multa per hunc disco, quæ didicisse juvat.
Tu tantùm flores, tantùm proponis odores,
Cedere te geminis Fratribus ergo decet.
Hæc mea censura est. jubeo substringere vota.
Instanti verbum tristius addo: *nego*.



MARCUS CÆCILIANUS SASAFRAS PHARMACOPOLA URANIÆ.


Argumentum EPISTOLÆ TERTIÆ.

Epistolam hanc scires, à Pharmacopola, ab igne amoris Chymico distillatam esse. certè facunda philtra ex pectoris sui apotheca depromit. ubique tamen jactantiæ signa redolent. blanditur ineptè. lenocinatur imperitè. promissis abundat: dona speratæ sponsæ mittit, sed inania.

Syno-

Synopsis.

1. *Sassafras Pharmacopœus molles aditus ad Vraniæ captandam benevolentiam quærit. lenocinatur muneribus missis ex nobilissima apotheca.*
2. *Artem suam, rerum copiam, divitias, immensam supellectilem describendo jactitat:*
3. *Se Pharmaceuticen percallere, Græcæ quoque linguæ peritum, ipsis Medicis æquiparandum.*
4. *In specimen artis, opulentíque obsequij, præter cætera dona, mittere salutiferi liquoris ingens secretum.*
5. *Multa quoque alia rara: ut pigmenta formæ enovandæ cultum juvantia, & aurum, quod vocant* potabile,&c.
6. *Pergit cæremonijs procacibus vel invitam demereri: thure quoque accenso.*
7. *Denique omnes partes stulti amasij implet.*



M. CÆCILIANUS SASAFRAS URANIÆ.

1. SErvo fidem. quæ nuper eram tibi munera, Virgo,
Mittere pollicitus, qualiacunque fero.
Sarcina si grata est, cum nostri interprete charta:
Scribenti fulsit stella benigna mihi.
Quæ, precor ut nostros animosius impulit ignes;
URANIE, foveat sic quoque Diva tuos.
Et, nisi me fallunt animi commenta, fovebit.
Leniter aspira: jam sacer ignis erit.
2. Nec sum adeò thalami sertis indignus, opinor:
Tot clarus titulis nominibúsque procus.
Sive meæ spectentur opes; seu spectet agendo:
Idem divitijs, qui valet, arte valet.
Nemo (velim quæras) tota confertur in urbe,
Clarior exaucta est Fama duobus avis.
Materno succrevit honos: Fortuna paterno.
Moribus hic, censu profuit ille suo.
Dicere si fas est sine laudibus: ullius olim
Ditior in terris vix *Apotheca* fuit.
Adriacæ quidquid puppes, & Gallica pictæ
Lilia; & Hispani classis onusta vehit.
Quidquid convasat diversi ex partibus Orbis
Amstela: veliferis Amstela dives aquis;
Nos penes invenias. parvum mirabere Mundum
Angustâsse meos, ostia tanta, Lares.
Quanta tibi ostendam, Virgo, miracula rerum!
Naturæ quantis te cumulabo bonis!

Nec confuſa jacent. quanquam genus omne ſupellex
　　Implevit : verſum ſplendidus ordo facit.
Amphora, trullæ, orbes, pateræ, chryſendeta, capſæ:
　　Omnia ſunt forulis ritè locata ſuis.
Pyxides innumeras vario fulgere metallo;
　　Ex his tornatum ſtare videbis ebur.
In quibus aut nitidæ, concharum pignora, gemmæ;
　　Aut mira electri vis piperíſque latet:
Sed *piperis glauci*, noſtra hac ætate reperti
　　Nunc primùm. ſtomachi clauſtra calore fovet:
Tunc quoque, cogniti rodunt cùm viſcera vermes.
　　Hoc piper eſt *albo* carius atque *nigro*.
Olfacies miris pollentes viribus herbas:
　　Quas Epirus alit, quáſque Canopus alit.
Bulborum hîc tunicæ, calamus, colocaſia, cannæ.
　　Innatat huic ardens, huic aqua viva vitro.
His loculis caſiæ meſſis, coſtúmque reſectum;
　　Ex Oriente recens his tamariſcus ineſt.
Spectabis dentes immenſi ponderis albos:
　　Getulæ quantos ora tulere feræ.
Ovum Phœnicis: deſectam Gorgona collo:
　　Alipedémque lupum, Niligenámque canem.
3. Nec, quia paremus Medicis, nos viliùs æquo,
　　Stare gradu poſitos inferiore putes
Præſcribunt. ſed quid ſine nobis ipſe Machaon
　　Poſſit; & intonſi Filius ipſe Dei?
Præſcribant. & nos in famam exſurgimus olim:
　　Et nos fomentum, conſiliúmque damus.
An Medici poſſunt apices malè pingere ſoli!
　　Poſſum & ego dando *nil dare*, ut Hippocrates.
Chaldæis Arabum vicinam calleo linguam.
　　Nec non Cecropidum nota Pelaſga mihi eſt.
Gundora Coſmopoli, celebres ubi degimus ambo,
　　Collatus nobis quid niſi fungus erit?

Certè *Burrano* jam ſæpiùs *argumentum*
Correxi. experto certior uſus adeſt.
Scripſerat *abrotonum*: quia pro pulmone caduco;
Hellebori ſuccus ſubſtituendus erat.
4. Talis ego ſed non memorarem talia multis:
Ni de te nollem non meruiſſe bene.
Utque nihil dubites de noſtra divite gaza:
In rem præſentem ducere dona queunt.
Mittimus arcani munus cœleſte liquoris.
Crede mihi: paucis cognitus iſte, liquor.
Quas Sol exſurgens luſtrat, mediusque, cadénsque;
Collectæ huc omnes ingrediuntur opes.
Inter eas præſtat peregrini germinis humor,
Radice expreſſus, decolor Inde, tua.
Creditur affines traxiſſe ex arbore Vitæ
Relliquias: felix dum Paradiſus erat.
Cara ſimul ſeſe diffudit potio venis:
Florida continuò permeat oſſa vigor.
5. Mittimus & *lapidem deciſum ex Perſide capra.*
Majorem neque Rex forſan Iberus habet.
Hunc lapidem ſerva fulvo pretioſior auro,
Pellere contritus cuncta venena poteſt.
Vidimus in nigram liventia corpora mortem,
Protinus expulſa convaluiſſe lue:
Quanquam etiam eſt auri liquefacti copia nobis;
Unde redit ſolidum; fœnoris ampla ſeges.
Præparo lucentes guttas, tradóque bibendas.
Hauſtus hic ægrotos mortis ab ungue rapit.
Mittimus & cyanen, & pinguia Poppæana
Hæc acuunt formam, conciliántque decus.
Addidimus nardi fibras, ſerpilla marina.
Verrucas abigit ſuccus uterque genis,
Ut flos aſpalathi, maculas. ecce, omnia tento:
Dignus ut inveniar ſponſus amore tuo.

6. Thure

6. Thure quoque incenſo te ſum veneratus ad Aram:
Ac ſi de magnis ſis tribus una Dea.
Cum Trivia Pallas, Juno, ſint Numina magna.
Præferet, URANIE, te tamen ipſe Paris.
Heu mihi! ſi, incenſum veluti thus fertur in auras:
Sic tuus in ventos omnis abibit amor.
7. Et quia te audieram, multorum (ignoſce) procorum
Stante ſupercilio diſſimulâſſe preces:
Pertimui meritò, ſi juncta ſuperbia formæ eſt,
Ne quoque dura mihi difficiliſque fores.
Sed metuo fruſtra: famæque licentia ſæpe
Peccat, & inſontes arguit eſſe reos.
Te quàm formoſam, tam ſuſpicor eſſe modeſtam.
Nullum tu triſtem mitis abire ſinis.
His ego permotus (nam quem non blanda moveres?)
Ad tua demiſſas limina tendo manus.
Evinctis myrto foribus ſuſpendo corollas.
Suaſit, & has vario flore ligavit amor.
Unus in his flos eſt: *non oblíviſcere noſtri.*
Immortalem alij, vel, *ſine fine*, vocant.
Ut geminæ ſemper vireant, neque rore rigentur
Lethæo; lachrymis immaduere meis.



URANIA

M. CÆCILIANO SASAFRAS PHARMACOPOLÆ.

Argumentum.

EPISTOLÆ QVARTÆ.

SAsafras Pharmacopœus, vilior ſcilicet procus, ab offenſa Urania, riſu, ludibrio, ſannis excipitur. ad ultimum miſerè vapulat.

Synopſis.

1. *Reſpondet Vraniæ: ſe vix literis apertis, olfeciſſe inepti Amaſij deſideria; quibus obſequi detrectet.*
2. *Non tanti æſtimare ſe merces miſſas, fidei certitudine deſtitutas: neque duci cupidine perluſtrandi oblata mirabilia prodigioſæ Apothecæ; quippe manifeſti mendacij in multis arguenda. ubi enim terrarum, quóve ſub ſole piper glaucum creſcat? Quis Phœnicem unquam viderit?*

3. Inde

3. *Inde quoque colligi: qualem artem, quoque fructu exerceat. Vulgi proverbium scilicet non aberrare. seram ut parsimoniam, sic & sapientiam in fundo esse.*

4. Album Græcum *fortasse copiosiùs gustâsse, quàm linguam Græcam. qua audacia præsumat in Medicorum gloriam grassari?*

5. *Quoties in Apothecis spectentur curiosè multa vascula, sed vacua! pyxides ornatæ, sed inanes!*

6. *Muneribus odoriferis in amoris pignus missis, Vraniam non multùm affici. quorsum oleum & pigmenta faciem emaculantia?*

7. *Odorum fragrantiam & luxum, tam virum quàm feminam dedecere. Vnguentarios, militarem victricémque Romam emollivisse. plures quoque nimijs odoribus perijsse.*

8. *Cùm Dea non sit: cur thus adoleverit mortali & invitæ Virgini? stultum Amatorem sceleratiùs insanire non potuisse.*

9. *Illum autem, pro Superi! arcanum liquorem, quem missum tantopere commenda-*

ve-

verit, meritò suspectari. quid? manifestum philtrum fuisse: proinde statim effusum in terram.

10. Diræ in caducum impostorem. Allegoria.

URANIA

M. CÆCILIANO SASAFRAS PHARMACOPOLÆ.

1. Vix contacta fuit transmissa voluminis ora:
O fœi votum, Pharmacopola, tuum.
Hìc vel amor, dixi, vel odor transpirat amoris,
Quidquid id est, halat, nescio qualis, odor.
Vincula dissolvo scripti lectura tenorem.
Qui scripti tenor est, vitæ erat ille tuæ.
Non bene discernas: an epistola fragret odore
Fortiùs, an stulto fragret amore magis.
2. O Sasafras, Sasafras: quæ te dementia cepit?
Mansisses melius Cæciliane domi.
Illâ quin potiùs sponsam regione requiris,
Trudit ubi glaucum florida virga piper.
Improbe mercator, sanctíque oblite pudoris:
In qua cæruleum crescit aroma plaga?
Nempe in qua ponit Phœnix Titanius ova:
Cùm nullum tamen hæc unica ponat avís.
Comparis est expers. Senior juvenescit in igne;
Séque novum ex busto suscitat ipse cinis.
Vidistíne lupos pennatos atque volantes?
Vera loquar: pennis tu sine Marce, volas.

Vi-

Vidiſtíne canem generatum gurgite Nili?
Atqui iſtum fluvium pertimuêre canes.
Vt canis è Nilo, Naturæ ex fonte videris,
Hoc eſt, exigua mente bibiſſe parùm
3, Te tamen Hebræi gnarum & ſermonis Achivi
Jactas? ceu lingua gnarus utraque loqui.
Ut credam toties deprenſo cædere ventos:
Fallacíque procul fixa ferire ſono!
Qui ſemel aſſuevit ceris mendacibus uti:
Aërium, nullo tramite, ſcindit iter.
Ludit, & ambiguis *Verum* prætervolat alis.
Tam leve remigium gloria vana regit.
Ergo meus SASAFRAS etiam tonat ore Pelasgo!
Dij faciant, laudis ſumma ſit iſta tua.
Longè alio ſed vos titulo proverbia vulgi.
Condecorant: quæ ſi vera, peritus homo es
4. Quàm vereor, ne nunc etiam jaculeris in altum:
Ut levis à tergo ſibilet aura tuo.
Forſitan idcirco, quod *Græcum* ſæpius *album*
Miſcueris; meritum *Græcule* nomen habes.
Hæc inter clamas: *& nos emergimus olim.*
Nos quoque jam Medici non ſine laude ſumus.
Echo clamat ad hæc: *& vos occiditis olim*;
Adque necem vires conſiliúmque datis.
Unde autem tales animi, phaleratáque verba?
Æſtu quo pelagi tanta procella fremit?
Ventoſum pectus magnis Siphonibus inflat
Æolus: hinc faſtu ſpuma ſuperba ruit.
Pharmaca miſcentes raró tam magna loquuntur.
Non eſt multorum dicere: *Tantus ego* !
Sors tenuis veſtra eſt, major jactantia rerum
Sæpius: & mimum luxus inanis agit.
Suſpectas *crocodilus* opes oſtentat & *alcis*:
Penduláque Jonij *barbara monſtra* maris.

Ex Samio confecta luto,ſtannóque Britanno,
Occupat ingentem plurima teſta locum.
Heliadum cruſtas aperi: totam excute thecam:
Invenies,præter paucula grana,*nihil*.
Cæſareas facies, muſiva inſignia, Regum
Effigies videas præradiare foris.
Fulget,iô, vacuis paupertas ſplendida vaſis.
Conjunctum imperium Crœſus & Irus habent.
Et tamen Epirum Peluſiacúmque Canopum;
Denique neſcio quas ſæpe crepatis opes.
6. Pauper es ô SASAFRAS? & Regia munera mittis!
Ferrea ſim: ſi non hoc ego pectus amem.
Ferrea ſed non ſum: nec tu aureus eſſe videris.
Ditior, ah, inopem cur ſpoliare velim?
Defraudare, nefas. donanda famelice ſerva
Munera non tanti ſunt tua miſſa mihi.
Contextam Cyprio miſiſti flore corollam.
Hoc ſigno faſſus carpere velle meam.
Majori ſed enim Domino ſervabitur illa:
Cujus es indignus lambere,MARCE,pedes.
Fragrat Achæmenio crinalis odore calyptra:
Miſſáque ad ornandas dactylotheca manus.
Mallem Neſſæo veſtis mihi tincta veneno,
Sordida Centauri ſanguine,miſſa foret.
Indorum mures ſcribis redolere: quid ad me
Indorum mures? plus ſatis unus habes.
Helleborum, miror, cur non & miſeris unà:
Natus in Anticyræ cùm videare ſinu.
Corrigo: non miror. ſola hæc tibi proderit herba.
Utere divitijs,CÆCILIANE, tuis.
Tolle cupidineum munus: miniméque decorum.
Non bene olet ſponſus, *qui bene ſemper olet.*
7. Si neſcis, rigidis aſſuevi cruda Lacænis.
At Lacedæmonias balſama nulla juvant.

Ida-

Idalius corrumpit odor juvenésque senésque.
Mollibus illecebris fama pudórque perit.
Fasti demonstrant. Annis secura trecentis
Casta, per unguentum perdita Roma fuit.
Fœtorem hircinum malim submittere naso:
Quàm Pæstane tuas, vel Sybarita, rosas.
Patricius Juvenis sumptum spirabat amomum,
Cætera nec Patriæ dissimulandus eques.
Cæsar odoratus; *suboleres allia*, mallem,
Torvus & indignans Vespasianus ait.
Protinus Officij revocato munere motum,
Res ab Honore suas jussit habere procul.
Est, ubi fragranti damnum letale creatur:
Inque croco & myrrha mors inopina latet.
Nonne Tunetanus *Muleasses* captus ab hoste est?
Sed priùs & tunicæ captus odore suæ.
Addideras stacten. pigmenta rubentia cocco,
Nescio quæ in concha versicolore natant.
Exornent aliæ ficto medicamine vultum;
Ingenuus nulla noster ab arte nitet.
Virtus formosas reddit gratásque puellas:
Quámque ea non unxit: turpis, anúsque manet.
8. Thura quoque accepi: sed non accepta fuerunt.
Parce, precor, formæ thus adolere meæ,
Ergo tibi Pallas videor, vel magna Diana,
Vel magni conjunx Juno Sorórque Jovis!
Haud ego me Divûm cœlesti dignor honore.
Me doceat Niobe non nimis alta loqui,
Me doceat Semele, non exoptare ferocem,
Nubibus obducto qui tonet ore, virum.
Costigenæ proles didici: discrimine quanto,
Tangantur soli debita thura Deo.
Pomum inconcessum genitrix primæva momordit:
Continuò dentes obstupuere mei.

Hinc

Hinc procùl este faces & pulvinaria Divûm.
    Aversor pomum rixa futura Phrygis.
9. Hactenus ad fatuum. sceleratum incessere porrò
    Mens est: atque utinam vis stimulúsque foret;
Quo foderem meritum latus impostoris inepti.
    Saltem jam nostri Carminis *Ibis* eris.
Ibis eris: qualem lavit Sulmone Poëta,
    Felle priùs, multo perfricuítque sale.
Tantáne nequitiæ tenuit fiducia mentem
    Et rabies, & fraus inveterata tuam!
Guttum Tartarei plenum diríque liquoris,
    Ausus es incesta mittere, leno, manu.
Vix tetigi, & tremui. nares micuere supinæ:
    Pallidáque infecit luridus ora color.
Ergo vitrum frangens hanc, dico, Cerberus offam
    Devoret. Eumenides hæc aconita bibant.
Túne mihi philtrum! tu crudelissime philtrum!
    Philtra nocent animis, vímque furoris habent.
Libera res amor est. nullus Busiris ad aram;
    Nemo vel admoto cogit amare bove
Túne mihi philtrum cum tot furialibus herbis!
    Hic lepor, hæc ars est, hæc apotheca tua!
Quid faceres hostis, qui sic illudis amator?
    Extinctámne tuam me procus esse cupis?
Túne mihi philtrum Stygiæ de lacte capellæ:
    Aut quibus exuta est pexa Megæra comis!
10. Qui primus potuit talem componere succum,
    Et dare suspecto mista venena favo:
Ille etiam propriam potuit jugulare parentem:
    Ille superjectum contumulare patrem.
Ille trucidavit pulsa cum conjuge socrum,
    Sustulit & natos ense vel igne suos.
Túne mihi philtrum! qui te genuere leones?
    Hyrcanæ in silvis an peperere tigres?

Ex-

Excisum scopulis invenit nauta marinis:
Lactentis nutrix turpis hyena fuit.
Matribus Æmonijs & amara Colchide peior,
Sanguine mutâsti flumina versa retrò.
Per te sopitis Luna incantata juvencis
Hæsit, telluris non subeunte globo.
Si mihi misisses manifesta piacula: virus
Castoreum; Euboici gramina nota soli;
Aut strigis exuvias; fortasse ignoscere possem.
Talia non animum lædere sumpta valent.
Fraudibus insontem vetitis voluisse puellam
Perdere, quid sontem te meruisse putas?
I procul, i nostri funestum dedecus ævi:
Et pete cum succis Thracia Regna tuis.
Simia cum *gallo* comitetur & *anguis* iturum.
Sit species tumuli *Culeus* iste novi.





CERALDVS BATTALIANVS ALESSO ARchiater Botanicus

URANIÆ.

Argumentum

EPISTOLÆ QUINTÆ.

UNguentarius Agyrta, ſpecioſo nomine celebris per Orbem Medici ſe venditans, Uraniæ perſuadere nititur, ſe empiricum, Galenicum, Chymicum eſſe, nec alterum dari æqualem: &, quia amore inſanit, plura phanatica jactantiùs admiſcet. auſus etiam peregrini fruticis fumo (quem per ſervulum miſerat) velle dementem reddere virginem; ut tantò certiùs in vota ſua detorqueretur, vel neſciens.

Synopſis.

1. *Battalianus Aleſſo in Archiatri famam ſe attollens, Vraniæ latam paginam facit.*
2. *Mira narrat; inverſarum arborum, hoc eſt, hominum famoſiſſimus olitor.*

3. Laus

3. Laus medicinæ: quam vel instinctus Naturæ animantibus insinuat.

4. Quis unius herbæ Tabaci vires digna commendatione exæquaverit!

5. Cæterùm, amorem nullis herbis esse medicabilem: proinde ignosceret, Battaliano ad ambitum & infimas preces descendenti.

6. Absque ope Medicorum, totum Mundum ruiturum in commune omnium sepulchrum.

7. Meritò sanè Apollinem, Medicorum Numen propitium, hoc nomine omnibus Dijs Veteres Romanos prætulisse.

8. Quoties Parcarum fila ad finem & forficem tendentia, ex inopinato stiterit, vel integraverit.

9. Sumptuosæ peregrinationes, quas ad consequendam Medicæ artis, in primis Empiricæ, gloriam susceperit, multorúmque mortalium bono confecerit.

10. Etiam desperatissimos morbos, quantumvis ludibunda manu expellere posse. hinc Aulicorum se Regúmque delicium vocari.


11. Dat Galenus opes; *oraculum esse verissimum. Quid laboriosæ jejunæque Caus-*

ſidicorum noctes, comparatæ ditiſſimæ Medicorum latiſsimæque familiæ?

12. *Si Vrania in fœdus conſentiat, ſubminiſtratis Mariti opibus, vicinarum muliebrem mundum longiſsimè ſuperaturam. quippe Sponſam futuram ejus, qui inſuper auri conficiendi arte polleat facillima, certiſsima, ſecretiſsima.*

13. *Ecce! inter ſcribendum vocari ſe equo miſſo, ad remotiorem Purpuratum, in arce curandum. haud dubiè ex tam opulento nido, multas in manibus plumas, velit nolit æger, hæſuras.*

14. *Reducem ſpolia cum cariſsima ſua diviſurum. Interea per famulum Bennonem miſſo Braſiliæ germine, Tabaco, ſive Panacea præſtantiſsima utatur. Vtendi modum, peritum Iuvenem monſtraturum.*



CE-

CERALDVS BATTALIANVS ALESSO ARCHIATER BOTANICVS

URANIÆ.

1. TE ſalvere jubet, qui, ſi caritura ſalute es,
Ferre poteſt medicam BATTLIANUS opem.
Quæ verbis alij non pondus habentibus optant,
Præſto ego: nec noſtrum eſt *ſalve* & inane *vale*.
Ille valet, jubeo quem noſtra ex arte valere.
Scribimus: & vitam charta ſalubris olet.
2. Hanc æger poſcens recipit: ſimul atque recepit;
Germinat afflicti corporis ægra ſalus.
Incipiunt vivis artus revireſcere ramis.
Ex radice nova pullulat arbor homo.
Arbor homo *inverſa eſt*: per nos exſurgit in altum,
Quæ jam ſpectabat fronde caduca ſolum.
Optimus eſt *Olitor* tali GALENUS in horto,
Semianimes truncos ipſe animare poteſt.
Quod nos arboribus ſumus; hoc pulcherrima nobis,
Si ſtirpem Medicam diligis, eſſe potes.
Morbus amor. Dilecta juva. Tu vulnera ſanas
Intima: tu plagis utilis herba meis.
3. *Inventum Medicina Dei eſt*: oracula certè
Ejus, honorari nos manifeſta jubent.
Ipſe opifex rerum: nec ſcitur Apolline quiſquam
Inter adorandos mitior eſſe Deos.
Ipſe modum reperit, Mortales arte juvandi;
Atque ſalutiferas ſulphure ſparſit aquas.
Ipſe ſalem per ſtagna ſacrum canentia fudit:
Unde ſuum Tellus, ceu Thetis, uber habet.

Promanant fontes: Bajanáque littora juxta
Arcano ſcatebræ molliter igne tepent.
Eſt aliquid, Divûm conceſſo munere, tetram
Et ſcabiem,& quamvis poſſe fugare luem.
Conſule Naturam. cunctis animantibus uſum
Indidit; & nulli eſt dura noverca feræ.
Saucius à telo dictamnum cervus, & urſa
Plena remordenti ſanguine quærit apes.
Sunt noti lapides apibus. Chelidonia dignum
Nomen habens, oculos ſanat, hirundo, tuos.
4. Unica quàm multas dotes habet herba *Tabacum*!
Illa ſuas vires utilitate probat.
Diſſipat humores capitis, cerebrúmque ſerenat.
Exhaurit fæces, lætitiámque ciet.
Si pituita gravat, nihil eſt præſentius illâ.
Solvitur,& rupta nube catarrhus abit.
Præterea expellit ſaniem, liventia plumbo
Vulnera, purgatâ tabe, coire facit.
Partem mitto tibi, partem ſervavimus unam.
Utraque conjungi, te mihi dante, poteſt.
5. Heu mihi! quòd nullis Amor eſt medicabilis herbis:
Nec Medico prodeſt ars bene nota ſuo.
Plaga ſedet venis; penitúſque infixa medullis
Æſtuat: & patuli vulnus amoris hiat.
Uranie, tu ſola potes miſerata mederi.
Ut valeam, votis annue Virgo meis.
Sanabor, ſimul ac fueris *Nicotia* noſtra.
Nemo *Dioſcorides* certior alter erit.
An ſumus indecores? méque aſpernata rogantem
Negligis? ah neſcis improba, te quis amet.
Cogeris ægra tamen nobis medicantibus uti.
Tunc ſimul argenti vena manúſque datur.
6. Si nullus toto Medicus ſupereſſet in Orbe:
Omnis ad interitum deproperaret homo.

Sunt

Sunt fragiles artus: corpuſcula noſtra fatiſcunt.
Vagis in cunis floſcule: móxque tepes.
Vix orimur, morimur: pendétque occaſus ab ortu,
Exclamant tumuli: *pulvis & umbra ſumus.*
Cauſſa patet. pugnant ſecum, & diſcordia ſemper
Sunt elementa ſibi, ſæváque bella gerunt.
Compacti tamen his ſtamus, cadimúsque viciſſim.
Carpimur: & noſtra eſt vita; *perire ſemel.*
Vis Leti violenta nimis. nos frangimus arcum:
Objectu noſtro crebra ſagitta perit.
Vel cadit in vanum, vel retrò vertitur acta.
Præſentem clypeum ſe medicina facit.
7. Non unus tantùm Rex noſtram exercuit artem.
In Ponto celebris laus *Mithridatis* erat.
Et *Salomonis* erat. Medicamina Pontica neſcis?
Ignoras, credo, quòd ſit Apollo Deus.
Noſter hic eſt fautor: cunctis præponimus illum.
Cedit Atlantiades: cedis Jacche pater.
Ille quoque, in cautes trifidum qui conijcit ignem:
Et qui cæruleis per mare currit equis.
Hunc penes eſt Tenedos, natalis & inſula Delos:
Et viridis Cynthus, cum Pataráque Claros.
Hunc penes & Delphi, Tripodésque atque omne futurum
Mente potens ſciri: quod *fuit, eſt,* & *erit.*
Ejus ope exploro morbos in corpore clauſo:
Quandoquidem cordis nulla feneſtra patet.
8. Lanificásne parum eſt nobis parere Sorores:
Nósque pati, lanam ſuppeditare colo?
O quoties Parcæ neverunt ultima fila,
Materiam Medico ſubſtituente novam!
Atropos ô quoties jam jam ſciſſura, quod inſtat,
Forfice rejecta ſiſtere juſſa fuit.
Sic conclamatos medijs revocamus ab Umbris,
Evæ vírque ſuus redditur, Eva viro.

Nonne ſoluturæ Lacheſi vitale volumen
Tardamúſque manus, inijcimúſque moram?
9. Tantum ut conſequerer decus, in patriámq; referrem,
(Conſtat enim famâ Dux Medicúſque ſua;)
Conceſſi Paduam, præclari Antenoris Urbem:
Uſſit dum calidum prima juventa jecur.
Inde alias longo tractu peragravimus oras.
Æmula Veronæ Mantua viſa mihi.
Nec te præterij Florentia, filia Veris.
Cum magnis Ducibus non minor ipſe fui.
Aldrovandorum luſtrata Bononia Sedes.
Excellit doctis Urbs habitata viris.
Ultima, Terrarum caput & ſuprema poteſtas,
Fovit ſucceſſus maxima Roma meos.
Notum Pontifici virtus clariſſima factis
Reddidit. optabam figere poſſe pedem.
Abſtrahit Orator ferrugine clarus Ibera,
Vidimus occidui Solis utramque domum.
Grandibus Heſperiæ Madritum immiſtus obibam.
Lauta invitati conditione ſumus.
Bis tria ut acciperem mercede Talenta rogabar.
Accubui menſæ, quæ propè prima fuit.
Ulteriùs ſed me rapuit feſtina cupido.
Tranſivi pontem, Sequana late, tuum.
Liligerâ Procerum circumvallante coronâ,
Artis monſtra meæ conſpicienda dedi.
10. In deſperatos clavam convertere morbos
Cœpimus: Herculeis viribus æqua fuit.
Depulimus febres infixas oſſibus immis.
Ceſſit ad infernum peſtis abacta canem.
Serpentes domui cancros: uníque Dynaſtæ
Calculus extractus penè trilibris erat,
Exutas podagrâ plantas ſalientibus hædis
Ilicet, & capreis fecimus eſſe pares.

Me

Me non vana loqui, ſanatus munere noſtro
Pariſijs ſenior ſcis *Barabaſſar* eques.
Ille quidem proprio digiti nos induit auro.
Annulus eſt fidei teſtis opiſque meæ.
Crede mihi, URANIE: tibi quem donamus habere,
Fulſerat in magni pollice Regis Onyx.
O te felicem, ſi me priùs ipſa beatum
Feceris. alterius pendet ab alter ope.
11. *Dat Galenus opes.* vetus & vox publica vulgi eſt.
Eſſe ratam, denis Secula plura probant.
Nullus inops perijt, noſtram qui calluit artem.
Si perijt, noſtri deſijt eſſe fori:
Indignus, cui Pergamei lux fulſerit aſtri:
Hippocratis nunquam ſedit in ore favus.
Curandis luſtrum vix unum inſumpſimus ægris:
Quinque per Autumnos quæ mihi poma data!
Qualia in Heſperidum memorantur creſcere ſilva:
Flavet ubi rutilis arbor opaca comis.
Qualia & Alcides, domito decerpta dracone,
Injecit gremio, Deianira, tuo.
Nam quid diſſimulem? ſunt lato prædia fundo:
Ridet ager: lacrymis vinea læta madet.
Stant arces: Arx una ſita eſt in vertice collis:
Altera vicinæ flumina lambit aquæ.
Villa triplex, pecoris cuſtos: ubi Pánque Paléſque.
Quot cœlum ſtellas, tot numeramus oves.
Reſpice Cauſſidicos: quos ſicco in pulvere legum,
Inque mola Juris verſat egena Themis,
Confer eos nobis: mera mendicabula dices.
Gaudent, ſi miſeris ſportula parva datur.
Plus ego collegi trieteride callidus una;
Intulerit decimâ quàm *Taracona* ſibi.
Perdius & pernox tamen iſte ſenilibus annis,
Jus immetatum, Jus ſine fine terit.

Quid prosunt *Tituli*, vituli si ad prandia desunt?
Pinguis ubi labor est, sed macilenta penus.
Codice sudatur: modicè cœnatur. Aratrum
Ducitur in sterili nílque ferente solo.
Nos aliis ventis velorum pandimus alas;
Flabra ferunt Medicam prosperiora ratem.
In pretio labor est. hunc præmia digna coronat:
Nomen, honor, tituli, gratia, census, opes.
Læta Ceres stipat fæcundis horrea spicis:
Evius, ut torrens, in nova vasa fluit.
Infectum argentum factúmque coruscat in arca.
Sed facti multò copia major adest.
Quanta eris, URANIE, si nos dignabere tæda!
Ut fierem conjux, ipse rogandus eram.
Omnia quæ pleno defert tibi copia cornu;
Vix poteris præsens enumerare bona.
12. Est mihi, sítque, precor, *Paracelsi* fontibus hausta
Nobilis ars. aurum conficere ipse scio.
Frustra Pactolus cum Gange, Hermúsque superbit;
Caráque turbantis flumen arena Tagi.
Artifices succendo nova fornace pyropos.
Ædificare parem Lemnius ipse nequit.
Injectum *Tinctura* facit flavescere plumbum,
Mercurij mira conditus arte *Lapis*.
Secretum est, tacitis quod vix credatur Amyclis.
Si petat Harpocrates, hoc aperire negem.
Solus ego, fratérque meus retinemus in arcto:
Tertia, si faveas, conscia & hujus eris.
Ecquid enim nostrum celarem pectus habentem?
Aut Dominæ possem quid reticere meæ?
Tum verò armillas, redimicula, cingula, peplum,
Quæque voles, eadem fulva metalla dabunt.
Tota ut chrysolithis ornata incedere possis,
Efficiam. Phrygia palla rigebit acu.

Quan-

Quando igitur festis Matronæ solibus ibunt;
Pompáque femineum proferet alta pedem.
Quæ tibi se Nymphe, quæve altera conferet uxor,
Agminéque ex omni conspicienda nurus?
Vestibus intextis auro gradieris ut inter
Sidereas noctu Cynthia plena faces:
Utque eadem, vultum cùm mutat, Oreadas inter
Ambulat, & pharetram pictáque tela gerit.
Pauca loquor: votis multò majora sequentur:
Quàm modò concipiat mentis imago tuæ.
13. Dum scribo; peregrè venit, ecce, auriga, vocátque.
Splendida stat patulas ante quadriga fores.
Ocyùs ad magni distantem nominis ægrum
Poscimur implorat dives *Odornus* opem.
Sic Medici colimur! sic summus & immus honorant.
Terrestres populus nos putat esse Deos.
Et sumus. è cœlo quasi lapsi astare videmur
Ægrorum lectis: primáque verba levant.
Ad nostros aliquis convertit lumina vultus
Anxius. hinc auram, mentem animúmque trahit.
Ibo: nec, ut spes est, vacuus mercede redibo.
Stringere jam falcem messis & hora monent.
Aurea messis erit. tunc fertilis imminet æstas:
Ægrotum propior cùm necis urget hyems.
Cùm gelido sudore gravis tremor occupat artus:
Fervidus imperijs Battalianus adest.
14. Plura redux scribam, referens munuscula mecum.
Quæcunque accipiam, te sine nulla placent.
Utendum interea divinum suadeo germen.
Quale novo Brasilum protulit Orbe solum.
Benno puer, Domini chartam tibi tradere jussus,
Hoc quoque cum cista divite tradet olus:
Erudiétque docens, quis finis & usus in illo:
Quid sibi cum juncto fomite cera velit:
Quídve chalybs, & acuta silex, & fistula duplex.
Jámq; vale, missis, eia, vehamur equis.

URANIA
CERALDO BATTALIANO ALESSONI, UNGUENTARIO.

Argumentum
EPISTOLÆ SEXTÆ.

URania maleficio fumi ex herba Brasila (Tabaco) erumpentis in cerebrum, prostrata; simul atque ad se rediit, damnato Medici codicillo: hanc illi vicissim Epistolam reponit: in qua funestum impostorem & fallacissimum nebulonem appellat: eò, quòd sustinuerit immeritam Virginem crudeliter decipere. ergo acerrimè in ipsum invehitur. demum etiam in se ipsam: utpote incautam, & imprudentiâ peccantem,

Synopsis.

1. Offensam se scribit perlectâ Unguentarij epistolâ: in primis jactantiâ, & immanibus haud dubiè figmentis arrogantis Cingari.

2. O

2. *O quot jam ſanos in lectum, ægros ad plures, functos in ſepulchrum miſerit! Thraſonem eſſe, non Medicum.*

3. *Quaſi verò Agyrta, nomen Archiatri ementitus, Florentiæ, Romæ, Madriti, Pariſijs celeber, ac muneribus fuerit cultus!*

4. *Retexuntur, & examinantur quædam membra fallacis epiſtolæ.*

5. *Ejusmodi complures circumforaneos, Regna percurrere jactabundos: magnam partem impios, & atheos.*

6. *Quid ad hoc reſpondeat? primo, ſive aureo & felici ſeculo, nullum Medicum extitiſſe.*

7. *Pietatem Battaliani apparere ex cultu falſi Numinis! an neſciat, Apollinem, cui genua & liba ponit, inter opiliones atque bubulcos, greges & armenta paviſſe?*

8. *Quid Alchimiam vel Chryſopœiam jactet, meritò annumerandus ijs, qui ſummi aurificis Midæ auribus coronantur.*

9. *Sit tamen opulentus & aurifex. Vraniam Chymico ſive Carbonario nunquam nupturam.*

10. *An non enim omnibus Diris devovenda,*

quæ

quæ fidem habeat impudentissimo impostori. qualem utique esse cognoverit, postquam missum Tabacum instigante Bennone puero, muliebri levitate victa gustâsset. O fumus! ô dolor! ô nequam!

11. *Diræ in Battalianum.*

12. *Pœnitentia Vraniæ dolentis, quòd curiosa Tabaci fumum admiserit.* Serpens (*Brasilus*) decepit me, & comedi.

13. *Lachrymæ. Allegoria.*

URANIA

GERALDO BATTALIANO ALESSONI UNGUENTARIO.

1. EXecrer, an scribam? vix dum se penna resolvit.
 E loquar, an sileam? mens in utrumque labat.
Vix equidem, quæ nos violavit Epistola, digna est
 Aspectu: ne dum me referente vices.
Sed nisi responsum quamvis invita remittam:
 Forsitan hoc ipso suspicione graver.
Imprudens potero tibi consensisse videri:
 Et, quæ nequitia est, tu placuisse tibi.
Inque sinu ridens stolidum cantare triumphum
 Ante tubam; victâ simplicitate meâ.

Miles

Miles es, an Medicus? ſua tantùm facta putabam
Jactare armatos, poſt fera bella, Duces.
Illis hoc liceat, qui Martem & caſtra ſequuntur,
Vulneráque adverſo corpore fixa gerunt.
Enumerent arces, & propugnacula capta,
Oppidáque à fundo verſa potente manu.
Milite, quicunque es, ſed tu jactantior omni,
Ore tuas laudes magna ſonante crepas.
2. Hoſtes in medio pulchrum eſt proſternere campo.
Hinc Aiax clarum nomen & Hector habent.
Quæritur: immeritos quot jam mactâris amicos,
Pace, domi cæſos: turpiter, abſque ſago.
Indocto calamo accinctum, velut enſe, dediſſe
Suſpicor in ſtratis millia multa neci.
O veſpillonem, bellatorémque togatum!
Inveniat nullum cui Libitina parem.
Si potes, hæc jacta; tua ſunt Mavortia facta:
Digna leonino carmine, digna viro.
Murali aut *Querna* lego *Navalique* corona
Ornâſſe Auſonios Secula priſca duces.
Qualis te cinget? quam Battiliane mereris?
Nempe *ſepulcralis* debita jure tibi.
Portitor ipſe Charon, Libitináque funebre Numen,
Imponet meritis hoc diadema comis.
Tot ſubitos Maneis alium transmittis in Orbem.
Vix gladio ſtrages tanta peracta fuit.
Unde notem, quæris? quia nec micat ulla pudoris
Mica tibi: frontem ſed ſine fronte geris.
Scribis: ut exſpirans ruptis mendacia fibris,
Fallaci flatu trudere vela queas.
Grandia vela tument: Boreáque inflante videris,
Æoliam ventis evacuâſſe domum.
Auras captanti pulmo non ſufficit unus,
O Medice in laudes ingenioſe tuas.

3. Téne

3. Téne rear Romæ Tarpeia in rupe morantem
Ingenij ſpecimen grande dediſſe tui!
Téne ſuum voluit ſancire Lutetia civem!
Hiſpani Proceres te retinere ſuum!
In caput, unde fluis, converſe relabere Tybri.
Herme retrò propera: Sequana curre retrò.
Frigida cum calidis, uno contraria miſcens
Ore, nihil certi noſter Aleſſo refert.
Non ita ſe mamma jactant Alemanide paſti.
Natio, ni fallor, veriùs iſta ſapit.
Nec tam terribiles fando dat in aëre ſaltus.
Diſſimulat placidè non ſibi viſa priùs.
Certa fides famæ: notámque odor attulit auram;
(Nos penitus naſo ſtulte carere putas?)
Extra Teutoniæ fines, vicináque nullum
Diceris ad Gallos ſepta tuliſſe pedem.
Finxiſti mores per mundum errantis Ulyſſis:
Inque Foro tantùm mirus agyrta volas.
Deprenſus charta quater es ſimulatus in una.
An dubitem, quin & ſit ſimulatus amor?
Sed nihil affirmo: credam tantiſper amari.
Nec mihi vena ſilex; nec mea corda rigent.
4. Víſne tui ſummam ſcripti, verúmque tenorem
Excutiam? ſtrictim pauca relata cape.
Exigam, ais, *tecum lætos ſine nubibus annos.*
Jam triſtor: ſi ſum nupta futura tibi.
Triſtitiam hanc minuas. dic me non eſſe futuram.
Sic peragam lætos absque pavore dies.
Effugiésque diu letum, ſempérque valebis.
Ut ſemper valeam, tu fugiendus eris.
Depelles omnes, ſi quos contraxero morbos,
Præcipuum primo pelle, *Ceralde*, loco.
Munera, blandicias, reditum promittere ceſſa:
A deſiderijs libera ſímque tuis.

Neſcio,

Nescio, quid sit? amo, cruciórque timore fruendi.
Gaudeo, quòd mulces; hoc tamen angit idem.
Odisses potiùs, méque aversatus abires
Sic mihi perpetuo vinctus amore fores.
5. *Inventum Medicina Dei est.* & tale fatemur.
Auxiliare pij Numinis istud opus.
At multi ex vobis (nimis experientia certa est)
Nec novere suum, nec timuere Deum.
Corporis humani fabricam mirantur: & ejus
Auctorem factis, moribus, ore negant.
Dementes, Arabum ductus & signa secuti,
Militiam cœli consciáque astra colunt.
Toti in visceribus caussarum, Orbísque Theatro
Condita rimantur. Conditor ipse latet.
Consule Naturam. cunctis animantibus usum
Indidit: & nulli est dura noverca feræ.
At vos Naturam vestris evertitis armis.
Arma voco pilulas, pharmaca, triste garum:
Cæteráque ingentes functis implentia fossas
Instrumenta necis, non numeranda modò.
His, puto, sat multos sine ferro alióve paratu
Cæditis. accingi non opus ense latus.
Adijce; quòd gratis relevet Natura dolentem.
Vos aufertis opes, dum malè fertis opem.
Conijcimus caussas morborum in corpore opaco.
Dicere quod *Patiens* debuit, inquit *Agens.*
Ars etenim nihil est, nisi *Divinatio*, vestra.
Tristis & infelix exitus acta probat.
Cæcáque Fortunæ non tam dubitabilis urna est:
Quàm quod in incertum vos schediasma datis.
Sæpius ambigitur; gallináne scalpserit uncis
Unguibus; an Lachesis scripserit atra colu.
Cùm mors sæva furit jaculis: nos frangimus arcum:
Objectu nostro crebra sagitta perit.

Jura, te Mortis telum avertiſſe vel unum:
Per te ſervatum funeris eſſe pedem.
Cogeris ægra tamen nobis medicantibus uti.
Si cogor: quid habes, dic, niſi nolle meum?
Jámne mihi morbos, extremáque Fata minaris?
Ut Dij te! mea Lux: ultima verba premo.
Si nullus toto Medicus ſupereſſet in Orbe:
Omnis ad interitum deproperaret homo.
Lectio, ſi neſcis, *variat*. contraria multi
Puncta tuis figunt, diſſimulanda tibi:
Terrigenas plures ſubituros tardiùs Orcum,
Si Medicus toto nullus in Orbe foret.
6, Secula converſam refer ad Saturnia mentem:
Judicis hæc partes inficiantis agent.
Tempore, quo ripæ trudebant flumina mellis;
Et ſecuit medios lacteus amnis agros:
Silvæ tecta dabant, patuláque ſub arbore menſas.
Preſſa quieſcenti præbuit herba torum.
Tunc, ſicut triſti medicamine nullus egebat;
Sic quoque nec Medici cura, nec uſus erat.
Quin, ſub adhuc nullâ fuſco lanuginis umbrâ,
Corpora dicuntur ſana fuiſſe Jove.
Spica famem pepulit, vel proxima glandibus ilex:
Hauſta ſitim palmis pura duabus aqua.
Barbatus tandem morbos invexit, & unà
Barbatos Medicos. *ſunt mala mixta bonis.*
Hinc certè meritò Medici lanugo timetur.
Quærimus ex barba: quis ſit habendus honos.
Spes alit ille meas, numerat qui funera mento.
Neſcio, quot numeres, BATTALIANE, pilos?
Lanificáſne parum eſt nobis parere Sorores!
Qualibus imperijs juſſa verenda probas?
Aut quibus exemplis tibi laudes aſſeris iſtas?
Dicere, vel faſtu perdere verba, leve eſt.

Nempe

'empe reformident te coram scindere fila!
Tardabisque manus, inijciésque moram.
arca timet Medicos! primi rapiuntur ab ipsa
Sæpius, inversam præcipitante colum.
Summus Apollo Deus. Nullum, Dulcissime, dicas.
Aut nunquam, aut vilis pastor Apollo fuit.
nixus baculo, parilíque instructus avenâ,
Prata per Admeti Thessala pavit oves.
li ego sustineam thalamum donare jugalem:
Cujus nec Numen digner honore tori?
. At raris opibus felix; auríque beabor
Fontibus, ah! *raras* ipsa fatebar opes.
ſt tibi *Secretum Paracelsi fontibus haustum*;
Mercurij mira conditus arte lapis.
rescere divitias, ais, hinc, ut semina crescunt.
Tantum auri, quantum plumbea massa, refert,
redere difficile est, plumbum flavescere posse,
Substituíque novos semper in Orbe Midas.
ltque sit hoc verum: pars non tamen altera vera est:
Hoc te concessum munus habere Deûm.
lócque dato; longas aures quoque habere necesse est;
Quantas Lydorum Regem habuisse ferunt.
i censura valet: certè non arbitror istos
Plus sapere artifices insipiente Mida.
'*arturiunt montes*, & vasa, incensáque fornax.
Nascitur ex tanto *grande* labore *Nihil.*
Aureus inijcitur mus ignibus: aurea musca
Exit: sed nunquam hæc musca elephantus erit.
Quamlibet attollant furnum, totísque laborent
Noctibus: *in fumos* ars tamen omnis abit.
Ars abit in fumos: abit in proverbia fumus.
Cum fumo in fletum denique risus abit.
Deflentur sumptus: defletur inutile votum
Atque malè impensum tempus, inópsque cinis.

9. Eſt ratio ulterior tibi me, Dilecte, negandi.
Candida Cyclopi nubere nolo nigro
Sperabam Medicum: tu fabrum opponis amandum.
Uſu vix diſtant Chymicus atque Faber.
An ſumus indecores? Per me potes eſſe decorus;
Dummodo virtutis ſit tuus ille decor.
Non me nobilior fuerat Galatea Sicana:
Reſpuit illa tamen te, Polypheme, virum.
Ergo recuſo procum verſantem forcipe ferrum:
Quamvis in ſponſam Mulciber ipſe petat.
Plerumque eſt etiam tinctus fuligine morum:
Quem facies fuſcat, pectore carbo notat.
10. *Quanta eris Vranie, ſi nos dignabere tæda!*
Uxor ero Medici. nil, puto, majus ero.
Atque adeò ſi te digner: portare merebor
Raptas de medio funere nupta faces.
Sertáque ſanguineis ſtillabunt humida guttis:
Quáſque nuces ſpargam, turbida mittet Eris.
Auſpicium thalamis ferali carmine bubo
Occinet: & peplum funebre ſumet Hymen.
Plura redux ſcribam. moneo, ne plura: cremabo
Ter pede proculcans, inijciámque focis.
Quòd ſi cum *Pæti folijs* acceſſeris ipſe:
Præceps è ſcalæ deijciere gradu.
Improbe! quam famulus nobis tuus attulit herbam!
Colchica, an Æmathia eſt? *quod genus, unde domo?*
Mitius inveni frutice hoc quodcunque venenum,
Sive tuum Scytale, ſeu baſiliſce, tuum.
Sera ſubit pietas. pudet ah, pudet edere verum!
Jámque etiam tædet, pœnitet, atque piget.
Confiteor; ſumpſi conciſi fruſta *Tabaci.*
Per patulas nares, oráque fumus ijt.
Hauſtum Benno puer verbis perſuaſit amicis:
Ille puer nequam, vernula pejor Hero.

Prin-

Principio mirata fui: tum propter odorem,
    (Fortis enim & vehemens, atque *Fernus* erat:)
Tum propter ſpiram toties ex caule retortam:
    Qualem incantatus Theſſalus anguis habet.
Dicebam: quid non labentibus invenit annis
    Longa dies? Proſit talis & herba mihi!
Admovíque manum: ſubitóque horrore refugi:
    Donec fumoſum Benno prævit iter,
Sic, quæ conditio vetus eſt miſerabilis Evæ:
    Feminea nocui mobilitate mihi.
Fiſtula corripitur; Braſilóque infecta veneno,
    Quà patet in longum proluit ora tubus.
Párſque ſupinatis, pars, ceu grave limen Avernus
    Panderet, offenſis naribus ire foras.
Protinus inſolita caligine turbidus aër
    Æſtuat: inſolito turbor & ipſa metu.
Mox vertigo quatit, mutantur in ore colores
    Egelidus ſudor membra per ægra fluit.
Attonitæ ſimilis, veluti Jovis ignibus icta,
    Dicor in obſcuro procubuiſſe ſolo:
Torva tuens, adaperta ſinum, diſperſa capillos,
    Sciſſa genas, pectus tunſa, ſoluta pedes.
Qualis ab Iſmarij decurrens vertice montis,
    Poſt thyaſos Mœnas denique laſſa cadit.
Benno puer riſit: notæ flevere ſodales,
    Me quædam comites deſeruere meæ.
Tu quoque jam tolles altum fortaſſe cachinnum,
    Succeſſu triſti lætus: ut eſſe potes.
Ii. Ad me cùm redij, quæ non & qualia dixi!
    Heu, quibus & quantis vociferata modis!
Ah! pereat, quiſquis furialem hanc repperit herbam,
    Quatuor inſanis per juga tractus equis.
Invadant illum morbi cum vermibus omnes:
    Nulláque tabentem febribus herba juvet.

 Hoc

Hoc illud Sponsæ munus dotale petendæ:
 Hac nempe illecebrâ decipienda fui!
Ad tumulum & Manes præcedere dignior ipse es.
 Perfide quid dubitas Battaliane mori?
Siccíne me miseram voluisti perdere leno:
 Quam te crudeli fingis amare joco.
Iam conclamatam, letíque in faucibus ægram
 Servare, officij pars erat una tui.
Et sanam ad nigras deducere niteris Umbras!
 Perfide, quid dubitas Battaliane mori?
Ausus es in calatho feralem mittere fructum:
 Quo, puto, nil pejus Caucasus ipse parit.
Ausus es ex illo sumptos suadere vapores:
 Et fumo cerebrum sollicitare meum.
Æmoniæ mallem succos hausisse cicutæ.
 Perfide quid dubitas Battaliane mori?
Ominor: exspectant te saxum, & vultur, & urna,
 Et rota, & illudens arbor, & unda fugax.
Conscia flagitij jam te Mens ipsa flagellat.
 Hæc tua Tisiphone est: hæc tua Erynnis erit.
Non potes, ut tentes, meritas evadere Diras.
 Perfide quid dubitas *Battaliane* mori?
12. Scilicet *Vranie* non est rea turpiùs illo;
 Quem culpat? crimen solus *Alessò* luat?
Me me adsum, quæ feci, in me convertite ferrum.
 Iste nihil potuit, sed tamen ausus erat.
Sícne tibi illudi passa es miseranda puella!
 Impia quid dubitas & scelerata mori?
O nimis insipiens exstincta lampade Virgo!
 Absque oleo fatuum digna subire chorum.
Cùm tibi canna data est, jam jámque admota labellis:
 Eventûs poteras signa notare mali.
Signa cubile dedit: motæ tremuere columnæ:
 Et sunt, quæ Lemures exululasse putent.
Concutiens alas insedit noctua tecto.
 Impia quid dubitas & scelerata mori?

Ter fuit accensus; ter cereus exspiravit:
Aëréque in summo turbidus arsit apex.
Fistula ter sumpta est,& inhorruit aura tenebris:
Térque manu excussâ, fistula lapsa fuit.
Attollo lapsam: contráque hæc omina pergo.
Impia quid dubitas & scelerata mori?
Quid Mater-Virgo, quid Natus Virgine dicet?
Avertet faciem tristis uterque suam.
Hæc Sponso promissa fides? sic fœdera sancis?
Hæc illibato debita jura toro?
Si nescis,Brasilo quæcunque incenditur haustu,
Fœtentes animas turpis arundo facit.
Sulphur odorata es, ruptíque bitumen Averni.
Impia quid dubitas & scelerata mori?
Qualia *Dilectus* porrò tuus oscula carpet?
Lilia qui casti cordis & oris amat.
Ille tibi cedros silvæ Libanitidos offert,
Tu taxum præfers, Americúmque laser!
Ille Engaddinis nutritas collibus uvas:
Et tu barbaricum barbara germen oles!
Ille botrum Cypri: quo nil fragrantius omnis
Autumnus cœli, nil quoque majus habet.
Tu caput & nares Hecateide polluis herba
Impia quid dubitas & scelerata mori?
13. O qui te fluvij, quæ te maria ultima lustrent!
Purgabunt maculas balnea nulla tuas.
Non si prærupto cursu despumet Araxes:
Conjungántque suas Oenus & Ister aquas.
Non si mergaris toto Iordane profunda;
Eluere hanc maculam Nereis ipsa queat.
Callirhoë refugit: Crocale desperat,& odit.
Impia quid dubitas & scelerata mori?
Immò age,& hyssopi cinere, & salis imbre ruentis,
Squallida te lacrymis & miseranda lava.



SENSUS IV.

GUSTUS.

Epiſtolarum

LIBER QVARTVS.



Am cum Iuſto Lipſio V. Clar. pecoratum imus. Is, ſi fortè ad convivium invitabatur; Lovanij per plateas ad hoſpitem tendens, & interrogatus, quò pedes? reſpondiſſe de more fertur: *eò pecoratum*: facturus ſcilicet, quod pecora ſolent. hoc eſt, edam, bibam, naturæ ſatisfaciam. nihil excelſum, nihil homine ſapiente dignum moliar. famem placabo: non excolam ingenium *ſcientiâ Romanarum antiquitatum, &c.* Hæc ille. Guſtum itaque hoc libello proponimus; brutum nempe ſenſum: neceſſarium quidem, ſed non ſemper neceſſaria ſuggerentem. Ad paſtum pronus, nihil niſi ventrem curat. Proinde indignum judicavimus, cui privilegium loquendi aut ſcribendi, etiam in Apologo concederetur. craſſior eſt, quàm ut poſſit; vilior,

quàm




Si te lactaverint peccatores, ne ac,
quiescas eis . - Prov. j. v. 10. Melchior Küsell fc.

quàm ut debeat. Quamvis utatur quàm maximè lingua; potiùs tamen ad dignoſcendos ſapores, quàm proferendos ſermones. Muti, plerumque & ſurdi ſunt. interroga famelicum ventrem: admove inania ſolatia verborum: nihil audiet. nam caret auribus, ut in proverbio eſt. alloquere: non reſpondebit humano more; ſed eſuriens canino rictu latrabit. Vox hæc pecudem prodit. Cæterùm belluinæ voluptatis illecebra, nemo penè inter Miniſtros Animæ, Dominam ſuam magis affligit. Guſtemus, quæ de Guſtu S. Auguſt. ſcripſit lib. 10. Conf. c.31. *Reficimus quotidianas ruinas corporis edendo, & bibendo. Suavis eſt mihi neceſſitas: & adversùs iſtam ſuavitatem pugno, ne capiar: & quotidianum bellum gero in jejunijs. dolores mei voluptate pelluntur. nam fames & ſitis quidam dolores ſunt. urunt, & ſicut febris necant; niſi alimentorum medicina ſuccurrat. ſed dum ad quietem ſatietatis, ex indigentiæ moleſtia tranſeo; in ipſo tranſitu, mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ. ipſe enim tranſitus voluptas eſt: & non eſt alius, quà tranſeatur, quàm quà tranſire cogit neceſſitas. & cùm ſalus ſit cauſſa edendi atque bibendi; adjungit ſe tanquam pediſſequa, periculoſa jucunditas: & plerumque præire conatur. ut ejus cauſsâ fiat, quod ſalutis cauſsâ me facere dico, vel volo; nec idem modus utriuſque eſt. nam quod ſa-*

luti satis est, delectationi parum est. & sæpe incertum fit, utrùm adhuc necessaria corporis cura subsidium petat; an voluptuaria cupiditatis ministrum suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima; & in eo præparat excusationis patrocinium: gaudens non apparere, quid satis sit moderationi valetudinis: ut obtentu salutis, obumbret negotium voluptatis. En Amice Lector. adversùs vitia Gulæ difficilem pugnam, incertum conflictum, raram victoriam.



HIP-




HIPPOLYTUS SCARABAZA VENATOR REGIUS

URANIÆ,

Argumentum,

EPISTOLÆ PRIMÆ.

QUia bruto Guſtui ſcribere ſtupor non permiſit: cauſſam ejus agere Patronus ſubſtitutus rogatur Venator Regius. hunc coquus ſequitur; & iſtum Architriclinus. Venatori primas dedimus. Nam ſi ille penum ferinâ nõ impleat; quid opiparũ coquetur ex genio Seculi. Ut cocta ſint omnia; niſi Architriclinus largiter vinum affundat, delicias Guſtûs nemo conſummatas laudaverit. Quibus autem Venator præſens dolis Animam capere intendat, ex Synopſi ſubjecta accipe.



Syno-

Synopsis.

1. Venatorius scribendi modus singularis.

2. Hippolytus Scarabaza Venator Regius, priorum trium Sensuum blandimenta explodit; & suam ferinam prædicat.

3. Colore, sono, odoribus quis saginetur? ad Gustum veniendum. qui tamen ipse pulpam ferinam, Venatorum delicias, domesticæ longè præferat.

4. Ad jus Venatorium etiam aucupium & piscationem pertinere: quanta ergo Domina futura Vranie! quibus delicijs affluxura!

5. Venatorum vita virtúsque, vigiliæ, labores, cum feris prælia, justis belli sudoribus exæquanda.

6. Venatores in Principum delicijs esse: ergo Vraniam in amores honestissimos, & conjugium nobilissimum posci.

7. Venandi voluptatem ex omnibus eminere; cùm idiomate peculiari, tum curiosis legibus Fori atque Iudicij silvestris adstrictam.

8. Lenocinia Venatoria.

9. Mit-

(P. S.)

9. Mittitur lepus in illecebram: Martiali & Gellia teſtibus, ſeptics guſtatus formam excandefaciens, miris modis.

HIPPOLYTVS SCARABAZA VENATOR REGIUS

URANIÆ.

1. QUam legis, infectæ conſcripta cruore ſagittæ
   Mittitur, URANIE, Litera rubra tibi.
Te media ex ſilva Venator Regius ambit.
   Si reputes, *nulla parte pigendus erit.*
Laudo, quòd infeſtos & paupertate notatos
   Damnâris ſannâ, reppuleriſque procos.
Ianua clauſa alijs tua ſit, precor, Ænea Turris,
   Qualis erat Danäes: dum ſit aperta mihi.
2. Quid Pictor, vel naſus Arabs, vel mobilis Oſcen
   Ad votum facerent, deliciáſue tuas?
Nos dabimus, quod edas; viréſque inſtauret, & auctas
   Roboret, & dicas: jam mea vena micat;
Jam vigor ille redit: jam cor vivaciùs ictum
   Sentio lætitia ſubſiliente quati.
3. Quantumvis Oculi, Nares paſcantur, & Aures:
   Gaudia langueſcunt, ſi Gula mœſta domi eſt.
Dic mihi, quid ſtomacho prodeſt aſpectus inani?
   Nunquid Odoratus te ſatiare poteſt?
Iejunus venter caret auribus. improba nunquam
   Murmura placabit Muſicus arte ſua.

Ex-

Exporrectus aper non pascit imagine vana.
Armeniæ bolos Pharmacopola dabit.
Ast ego cervorum medio de pectore sumptos;
Fervet ubi calido pectore mollis adeps.
Hi boli saturant, spissâ accedente medullâ:
Quæque suum pingui sumina lacte tument.
Naturæ genio, quæcunque domestica, semper
Fercula grata minùs; quæque ferina, magis.
Quære urbis Dominos: vitant populare macellum,
Si possunt. Silvis gratia major inest.
Fumosus petaso, vitulum superabit obesum:
Mensarum lepor & gloria prima lepus.
Forsan & aucupij regalis & alta voluptas
Iuverit utentem: Me magis illa juvat;
Quæ Venatrices epulas ave Phasidos ornat,
Cara ubi cum turdis Westphala perna jacet.
4. Ad nos, ne ignores, etiam Piscatio spectat.
In tria grassandi jus Elementa patet.
Non anguilla tibi, non mullus ab æquore deêrit:
Non muræna lupo, vel sociata scaro:
Et patinam implentes spatioso corpore rhombi;
Primáque Lucrinis ostrea vecta scaphis.
Da modò te facilem, viridémque admitte maritum.
Perpetuo vireat sic tua forma bono.
Nomine vel solo possem te fortè mereri.
Sim tuus Hippolytus: túque mea Hippolyte.
Scis, cujus Theseûs fuerit pater inclytus Heros.
Virtus in veteri semine prima latet.
Quanquam devictà non dicar Amazone clarus;
Aut captis Thebis; Pirithoïue comes:
5. At non imbellem Latonia dixerit unquam.
Sunt mihi cum sævis bella gerenda feris.
Venator rigidus vix vero à milite distat.
Certè eadem in silvis sæpe pericla manent.

Vulnus

Vulnus uterque facit. telis armatur uterque;
    Instruit in cædem cautus uterque dolos.
Setiger ardet aper: contráque obnixus in hastam,
    Ore canes rapido fulminat, ore viros.
Nempe lacessito malis occurrere tauro:
    Obvia qui veluti jactat in astra pilas.
Unius in dentem cecidit Cynereius olim:
    Sanguinéque effuso planxit Adonis humum.
Tu debellâsti brutum, Meleagre, furorem:
    Prævenit telum sed Tegeæa tuum.
Quod minimè credas: timidis quoque subsilit ira:
    Tutatur pellem bellua quæque suam.
Ardua terribiles surgunt in cornua cerui:
    Cùm stimulat Furijs exagitata Venus.
Insiliunt ursi: crassáque morantia mole
    Corpora, & à plumbo saucia, fraude levant.
Assurgunt bipedes, & cespite vulnera celant.
    Vix Helice major, vix Cynosura Polo,
Amplius audemus. noster tota Africa saltus:
    Tota est Europe: tota quoque est Asia.
Cæduntur tigrides: mordet venabula pardus
    Cúmque leone suo capta leæna gemit.
Amphitryoniadem deposcat talis arena:
    Et quos Carpophoros Martia Roma tulit.
Ipse stupens nostros Gradivus sæpe labores,
    Attonitos, visa strage, retorquet equos.
6. *Principibus placuisse viris si maxima laus est*:
    Ut celebris Lyrica laude Poëta canit;
Nos magis ex omni turba comitante placemus.
    Strenua pars Aulæ, maxima pompa sumus.
Clarescant alij studijs: præcedimus omnes,
    Instructos pennis eloquióque viros.
Dianam, quamvis cerebro Iovis edita summi,
    Cogitur à longè mœsta Minerva sequi.

7. Signa

7. Signa canunt. haurit pavor exſultantia corda:
Mœnala Mænalio carmine rauca ſonant.
It campis acies certis diſtincta manipilis,
Fune ligatorum cum legione canum.
Harpalos, Ichnobates, Melaneûs, cum Lælape Theron,
Nebrophones, Lachne Galla, Lacæna Nape;
Multi, unúſque globus: ſaltúmque feruntur in unum.
Mœnia Briſaci mox capienda putes.
Nos penes eſt ingens Culter: (*Deus ille Deorum*)
Majorem, credo, nec Rhadamanthus habet.
Nec Scanderbegi gladius ſe conferat illi.
Creditur huic, noſtræ Numen ineſſe Deæ.
Servat in officio ſtricti reverentia ferri,
Súbque metu legum cærula caſtra tenet.
Exigit & certas pœnas nemorale tribunal.
Figitur haſta ſolo, Iudiciúmque datur.
Immunis nemo. minimus quoque plectitur error.
Facta aliquem peragunt ſoláque verba reum.
Peccavit Satrapes? flectit. peccavit ephebus?
Flectit. peccabit Ductor: & ipſe luet.
Non niſi bis dedimus pœnas: tantum eminet artis.
Sæpius à magno Principe dona tuli.
8. Arripe fortunam. Quid jam, Dilecta, moraris?
Si placeo, dudum te placuiſſe ſcias.
Et poſſem Dryades, flavas & habere Napæas.
Ex tot Oreadibus tu mihi viſa prior.
Finimus. nova præda vocat. latratus in auras
Fertur: & ære cavo perſonat omne nemus.
Pro ſigno appreſſi conjectum in retia cervum:
Quem bene ramoſum porrigit albus eques.
Hoc inſigne mihi conceſſit Diva triformis.
Eſt aliquid, tanto poſſe favore frui.
Cùm daret indulgens; Triviæ dilecte Miniſter
Hippolyte, hoc noſtro nomine, dixit, habe.

Quan-


Quantus honor! tuus esse cupit SCARABAZA maritus.
Quem Dea dignatur Virgo vocare suum.
(P. S.)

9. Cùm jam claudendam vellem signare tabellam:
Rubráque Sapphiro cera premenda foret:
En, *lepus* affertur. Dominæ transmittite, dixi.
URANIA non est altera digna magis.
Fige veru: tostámque dapem carissima sume.
Augebit formam *septima pulpa* tuam.

URANIA HIPPOLYTO SCARABAZÆ VENATORI REGIO.

Argumentum EPISTOLÆ SECUNDÆ.

VIrgo ad omnia Regij Venatoris puncta singulatim respondet. Summa. Viris crudis, immansuetis, tetricis, silvestribus; neque nisi in feras bellicosis, cæterà plerumque imbellibus, Uraniam non nubere.



Synopsis.

1. *Vranie, sine mora & ulteriore deliberatione, post Hippolyti Scarabazæ perlectam epistolam, quadrato viro respondet ore rotundo: se Damam esse nulli venatori obnoxiam.*

2. *Ferinam, mansuetæ Virginis ingratijs obtrudi. illam picâ nondum laborare, cùm virgo sit. neque edulijs pretiosioribus affici: multò minùs amare ambiguum piscantis hamum, vel aucupis ardeam.*

3. *Vtique magno dolore multorum & experientia sciri, sumptuosam Dianam, in Aulis, præ egena Pallade dominari. quàm inutiles catenæ famelicorum quadrupedum bipedúmque molossorum!*

4. *Cæterùm cæremonias silvestres, quas in ludibrium veri Iudicij, curiosa venatio superstitiosè usurpet, haud dubiè Faunos & Satyros Præsides dictâsse. Quales Areopagitæ! plectunt errorem vocabuli: sed non enormitates flagitij! punitur barbarismus lin-*

linguæ: solœcismus Animi impunè transit. pulcra phantasmata!

5. *Cruditatem quoque & sævitiam Venatorum, displicere posse Puellis.*

6. *An ergo tot parasangis distent Venator eviscerans Cervum, & Lanius eviscerans bovem?*

7. *Frustra magna nomina, & agones Martios, venatorio cornu jactari. illum qualemcunque strepitum, ad horrorem bellicosi classici non accedere. quàm parùm Hippolyti venabulum æquet lanceam Turni, Actoris Arunci spolium.*

8. *Vt de peculiari Venatorum idiomate, multis odioso molestóque taceat.*

9. *Denique suspectat Insignia Scarabazæ, à Diana muneris loco collata. Dianam nuptias non suadere, quippe virginem. Hippolytum, cujus sanguine se jactet, non fuisse uxorium.*

(P. S.)

10. *Reciprocum.*

URANIA
HIPPOLYTO SCARA-BAZÆ VENATORI REGIO.

1. QUis mea Venator nec opinus limina pulſat?
   Exhibet hirſutum charta notata procum.
Scribendi mos iſte novus, neque cognitus antè.
   Explevit calami ſtricta ſagitta vicem.
Nil tamen evincis? nec te ſuſpendere naſo
   Flante, diu texens verba doloſa, paro.
Silveſtres capreas noto venare receſſu.
   Quære alibi damas. non ero *Dama* tua.
2. Æterno mentis ſtat votum adamante ligatum:
   Unius in ſponſi caſta venire manus:
Quem peperit Virgo: qui ſe mihi præbet edendum;
   Non urſi plantas, hinnuleíve jecur.
Agnum cœleſtem vervecibus impia mutem!
   Aut vendam gemmam pro petaſone meam!
Sit procul à nobis talis dementia picæ,
   Prægnantis morbus, Virginis eſſe nequit.
Atque hoc propoſitum flectetur munere nullo.
   Non niſi cum vita finiet atra dies.
Egregio potes ore quidem Scarabaza, ferinæ
   In laudes, plùs quàm Tullius, ire tuæ.
Sint tua gallinæ Numidarum fercula nigræ:
   Vulneréque agreſti fixus & emptus aper.
Sum contenta meâ, modicis cum pultibus, offà.
   Frugales nondum deſipuere cibi.
Naturam paucis contentam, nutrio paucis.
   Quod ſatis eſt, tellus mitis ubique creat.

Au-

Aucupio præſtes quamvis *Henricus* ut *Auceps*:
Nec curo illecebras; nec mihi Cæſar eris.
Forſitan Uranien eſcæ dulcedine falles!
Pauca velut volucrem fallere grana ſolent.
Non adeò rudis eſt, cæcáque cupidine fervet:
Ut mox in caſſes decipienda cadat.
Es quoque piſcator: ſed amantis diſplicet hamus.
Obvallata procis omnia tuta timet.
Namque ut me capias, Siculi muræna profundi,
Cúmque ſacro mullus creber in ore tuo eſt.
Ah, quoties leno promittit grandia cete!
Grandia: ſed poſtquam ducta puella fuit!
Poſt noctem, in minimos piſces promiſſa dehiſcunt.
Sæpe nec in menſa gobius unus erit.
Ut tamen & præſtes: non ſunt Halieutica cordi.
Si repleat ventrem toſta farina, ſat eſt.
Diſce meo exemplo, pretioſis poſſe carere,
Sit bene moratus venter: amabit olus.
3. Eſtis, iô, Regum (ſed proh dolor!) inclyta pompa:
Invidioſa tamen, quin oneroſa nimis.
Quantum auri inſumunt lato venabula ferro!
Ingentes cenſus prodigit haſta nocens.
Debita pauperibus ſaturant alimenta moloſſos;
Implentúrque canes, eſurit æger homo.
4. *Punimus noxas rigidi de more Lycurgi*:
Plectitur extemplo vel levis error, ais.
Te Themis, appello: Téque ò Rhamnuſia vindex:
Et, ſi ſtultitiæ forſitan Ara ſacra eſt.
Ludere an hoc non eſt? hoc Bacchanalia non eſt
Ludere? in hunc finem Regula Juris abit?
Plectitis errores linguæ ſine crimine lapſæ:
Impunita manent crimina vera domi.
Impunita manet Venus, impunita libido.
Crudelis feritas: barbaricúsque rigor.

Vaſtantur ſegetes,fruſtra plorante colono:
Spémque anni mediam trux populatur aper.
Per ſata prædator ſine ſepe & limite cervus
Cum grege, jam notas ítque redítque vias.
Una nocte vorant,ut matutina metendum
Falx nihil inveniat: Baucis amara fleat.
Quæ lacrymæ ac gemitus; Cereris cum filia rapta eſt?
Hîc avidis rapitur dentibus ipſa Ceres.
Nec rapuit Pluto curru,vel Juppiter ullus.
Abſtulit infami gutture bruta fames.
Agricolæ intentat *Nembrodus* dura querenti
Verbera. Vis æquum læsáque jura premit.
Ut ſileant leges captivæ, tempore belli:
Tempore cur Pacis,veſtra per arma,ſilent?
In quo Judicio cum riſu abſolvitur ullus,
Ridens ipſe Reus, ſupplicióque ferox?
Ruſticus in præda ſilvæ deprenſus iniquæ,
Ocyùs abſtracto corpore & ære luit,
Sic ſcelera increſcunt, quæ non à judice *cultro*,
Sed *Gladio* potiùs diſcutienda forent.
Non penſant damnum vani ludibria ferri.
Enſe opus eſt. cervix ſtrictiùs enſe cadit.
Dignus, qui torquet miſeros, Actæonis inſtar,
Membra ſuis canibus dilaceranda dare.
5. Hoc etiam audivi,vobis nil crudius eſſe:
Sævitiæ nullum ponere poſſe modum.
Cúmque feris, intérque feras ſine fine vagando,
In veras tandem degenerare feras.
Venantis Satyri rabies miteſcere neſcit;
Sanguinem ad humanum bellua ſternit iter.
Me miſeram! quali fuero nuptura marito!
Heu,fuge Centauros, caſta puella fuge!
Nónne ſuam Cephalus confixit arundine Procrin?
Et tamen occiſæ verus amator erat.


Quòd

Quòd caput in ſilvis inter dumeta moveret;
Dum putat eſſe feram, cuſpide fixit Heram.
6. Dic mihi: ſilveſtrem quicunque eviſcerat urum;
Quot diſtat ſtadijs à lanione bovis?
Diripit & coſtas, & tergora nudat uterque:
Sanguine commaculant cædis uterque manum.
7. I nunc, & lituos, veróque ſimillima Marti
Prælia venantûm, Cæſare digna, cane.
An tibi bellator fortiſſimus eſſe videris,
Quòd jaculaturus poſt fruticeta lates?
Quantum ergo facinus, cervum fixiſſe ſagittâ!
Eminus adverſum glande ferire lupum?
Hannibal in lepores, in Pœnum quando leonem
Scipio pugnâſti, vel Calydonis aprum?
8. Nec tanti mihi ſunt monſtroſa vocabula veſtra;
Indomitæ Mentis ſomnia, verba nova.
Non magnis opus ingenijs, aut tempore longo.
Fingere Bæotus talia quiſque poteſt.
Finge, quod horreſco: (ſed & hîc liceátque licétque
Fingere.) quid facerem, ſi tibi nupta forem?
Triſte miniſterium, linguam ignorare mariti:
Sic tu ſis Indus, vel Scytha; Teutis ego.
Non aptè nubet Græca aut Romana Cheruſco.
Mutuus alloquio conciliatur amor.
9. Ut maneam cœlebs, tua me monet ipſa Diana.
Illa ſacræ cultrix virginitatis erat.
Dianæ cultor cur non imitaris & illam?
Ergo plus animi femina, quàm vir, habet?
Cujus vita placet, ſtudiúmque, & torua voluptas,
Sola tibi virtus diſplicuiſſe poteſt?
Vix jam perſuades, auro quæ fulgida jactas
Spicula, Parrhaſiæ dona fuiſſe Deæ.
Vis, tua ut Hyppolyte dicar; quia nomine gaudes
Hippolyti. Quo te nomine cunque voces:

Certè non ille es Theseo sanguine cretus.
Heu mihi! dissimilis quàm fuit ille tui!
Ut Phædræ insidias laqueósque exiret amantis,
Quos casto juveni spurca tetendit anus:
Contempsit Venerem, pretiúmque precésque novercæ:
Contempsit lacrymas supplicis atque minas.
Excedénsque aulâ, regali sede relictâ,
Exsul cum canibus maluit esse foris.
Intravit silvas, foeta & spelæa luporum.
Tantùm unam fertur pertimuisse lupam.
Sume animos tales: spretóque Cupidinis arcu,
Impiger in solas dirige tela feras.
Velle jubas, setas suis erue, cornua trunca.
Taygeti & Cynthi per juga tende plagas.
Parthenios saltus intactos, nósque relinque.
Scis tamen exemptum Virginis esse nemus.
Si potes uxores, ut scribis, habere Napæas:
Has, rogo, neglectâ me, potiturus habe.
Quod dixi, repeto, Conjunx Venatica non sum
Quære alias damas: non ero *Dama* tua.

(P. S.)

10 Muneris oblati quàm penè oblita fuissem!
Scito tamen: quòd non *Gellia fusca* vocer.
Ipse tuum *leporem*, cùm sis deformior urso,
Turpibus à nævis emaculandus ede.
Virgo satis pulcra est, quam nulla piacula foedant.
Casta verecundi jam decus oris habet.



MAR-



MARCVS RVMPOLDVS CARALLA, COQUUS PALATINVS.

URANIÆ.

Argumentum EPISTOLÆ TERTIÆ.

COquus iste (quem B. Iacoponus in suo Apologo induxit) nidore epistolæ suæ, in culina utique scriptæ, allicere tentat Uraniam ad consensum immodicarum cupiditatum. omnem suam supellectilem describit, & in Sponsam deligendæ offert.

Synopsis.

1. *Rumpoldus Coquus captat benevolentiam à pingui fortuna.*

2. *Artem, persónamque suam non esse despiciendam. primos Consules Romanos fuisse coquos. suum quoque avum jam*

olim regium Archimagirum: ut adeò neque nobilitas avita Rumpoldo desit.

3. *Ipsum quoque Solem, astrorum Dominum, principem coquorum posse dici. omnia enim coquere. hinc esse, quòd* Heliotropium *in annuli sui gemma sculptum, pro insignibus usurpet.*

4. *Coquum etiam fuisse, M. Aurelium Martialem, Poëtam qualem & quantum! inprimis Fl. Domitiano Cæsari carissimum. Epigrammata ejus stomacho ingenioso sapidissima.*

5. *Non tantùm pro* Aris*, sed & pro* Focis *pugnari: an non Delphicus Tripus, in quo oracula fumant sit olla?*

6. *Thoracem Schmausianum (vulgò* daß Schmause Wammes *) famosissimum, quo induatur, aliósque sæpius induat, esse* Fortunati *Pileo supparem.*

7. *Ejus origo, vis, nidor. hac se veste magnificè tegi, & mirificè calefieri.*

8. *Promittit Sponsæ suæ ex illa manicam: & aliquot globos crystallinos.*

9. *Nuptiale convivium, quod adornaturus sit,*

ſit, fore mirabile, jucundum, ſumptuoſum.

10. Olla potrida, *ferculum Hiſpanicum.*

11. *Variæ Lautitiæ.*

12. *Alia, aliáque, in condimentum.*

13. *His Vranien jugalibus donis ſperat utique ineſcandam.*

M. RVMPOLDVS CARALLA COQUUS PALATINUS.

URANIÆ.

1. Si licet, & pateris, (quid non patiuntur amantes?)
Si non es corpus, Virgo, peroſa tuum.
Hæc tibi poſt epulas (neque enim jejunia curo :)
Scribit *Rumpoldus* verba legenda coquus.
Scribit Amor potiùs: nam quid facundia nobis?
Non didici multis eſſe diſertus homo.
Facundus ſatis eſt, opulentus, dives, opimus.
Si videas, dices. hunc ſua forma beat.
Teſtatur vultus, quæ ſit fortuna culinæ,
Tam macies procul eſt, quàm truculenta fames.
Qualis in ætherio ridens procedit Olympo,
Aſpectu fratris Cynthia plena ſui.
Talis ego. pleno qui molliter ore renidet,
Nonne tibi optandum dixeris eſſe virum?
2. Nec refert: alti quòd non ſim ſanguinis. à me
Nobilitate potens incipit eſſe genus.

Sæ-

Sæpius ex agro consul sublatus in ostrum,
Deserto Latium vomere pressit ebur.
Qui primi Ausoniæ Populum rexere Quirites,
Non puduit proprio Marte parare cibum.
Una manus ferrum, frustum bovis altera coctum,
Coram Legatis, non sine laude, tulit.
Ante focum residens, Pyrrho responsa petenti,
Fabricius, coqueret dum sua pisa, dabat,
Ut tamen hoc etiam, mecum, Dulcissima, nôris:
Non adeò ignoti degenerésque sumus,
Ad Regum gustum, Genitor meus inclytus annos
Ante quater denos, *Archimagirus* erat.
Inde *Palatini* tribuêre palatia nomen.
Durat, & à quarto continuatur avo.
Ergo mihi non est labor ársve pudenda coquendi.
Nec splendore suo nostra culina caret.
3. *Sol coquus est*. & quid tali formosius astro?
Ni coqueret; frugum staret inanis ager.
Nulla coronaret frigentem vinea Bacchum;
Largior apricis collibus uva tumet.
Sic maturantur fructus, oleóque trapeta
Replentur: dives cella, penúsque favis.
Salve flos *Clytie*: qui te quoque Solis ad ortum,
Solis ad occasum vertis, imago mei.
Hinc insculptus ades nostris Insignibus: hinc te
Annulus in digitis, raráque gemma tenet.
4. Quondam etiam ex nobis aliquos afflavit Apollo:
Et dedit arguto fortiter ore loqui.
Bilbilis est testis, magnis jam digna Poëtis;
Ex quo te Vatem, Marce diserte, tulit.
Qui placuit Romæ, quem Flavius ultimus auro
Induit, & clavo, purpureáque toga:
Qui doctas aures acri perfudit aceto:
Qui piper ingenio miscuit, ore sales:

Mon-

Monſtratus digito, toti notiſſimus Urbi,
Dicitur excellens arte fuiſſe coquus.
5. *Delphicus* ille *Tripus* famoſa oracula fundens,
Nonne Coci primùm fictilis olla fuit?
Bullijt, & ſeſe paullatim erexit aquæ vis.
Lenis, & in fundo Spiritus *aſper* erat.
Tandem fatidicus calor eructavit in auras.
Non nihil eſt, tangi relligione *Foci.*
Próque *Focis* bene tam, quàm pro cœleſtibus *Aris*
Geſſerunt veteres bella verenda Duces.
Dij fuerant olim: *junctique* Penatibus amplis
Et Laribus, Fanum conſtituere ſuum.
Illorum nunc ſum cònſors, hodiéque Sacerdos
Immolo. gallina eſt victimà, egóque popa.
6. Diſpliceam fortaſſe tibi: quia ſordida veſtis
Eſt mihi: nec tali *mantica* digna proco.
At non ſpernendus feſtis incedo diebus.
Me quoque tunc Serum vellera pexa tegunt.
Sunt longi cultri: rigidum manubria cælat
Argentum. bullis cingula lata micant.
Eſt mihi præterea Textum mirabile, *Thorax*.
Schmauſiaaes tulerat ſæpe paternus avus.
Scinditur hac illac. medio protenditur umbo.
Dependent vitrei, lucida ſigna, globi.
Fumida geſtantem præſagia protinus afflant.
Scire datur: quo ſit cœna parata loco.
Certiùs haud pluviam gradiens in littore cornix
Indicat, aut Euri flamina Luna rubens.
Sit *Fortunati* famoſus *Pileus*: illo
Non mutem *Chlamydis Myſtica dona mea.*
7. Quicunque induitur, gratis epulatur. inempta
Atque aliena gulæ gratiùs offa ſapit.
Sed neque propterea veſcenti iraſcitur ullus:
Nec dicit torvè: *quid paraſite facis?*

In-


Instar magnetis *Thorax* hic visus, amicos
Attrahit; & vires conciliantis habet.
Convivæ arrident: vestísque est tessera mensæ:
Secti à crystallo, symbola nota, globi.
Hac visâ, quamvis austeri ex Hospitis ore,
Leniter ira cadit: gratia blanda subit.
Munitus Thorace suo *Defenditur.* adstat,
Assidet. os, barbam denique tersus abit.
Sunt, qui à Cæsaribus tantum manasse favorem,
Sive ea Fortuna est, sive ea fama, probent.
Aulus enim *Cæsar* simulatque *Vitellius* Orbis
Dictus, se cinxit nobiliore sago:
Ingentem Patinam, *Clypeum* sacrâsse *Minervæ*
(Hoc dederat nomen) publica fama canit.
Orgia tunc princeps isto memoratur amictu,
Inter abundantes concelebrâsse dapes.
Ex illo quicunque gerit; fataliter hospes
Omnibus, atque omni tempore gratus erit.
8. Quantum erit, ex hoc si *manicam* tibi tegmine donem!
Heres nostri assis, sicut amoris, eris.
Det Pallas peplum, niveam Latonia pallam:
Plus est Uranie, quod tibi, Nympha, damus.
Huic manicæ tunicam Junonis denique totam,
Et Veneris ceston posthabuisse velis.
Huic ego posthabeam trabeas, cinctúsque Gabinos,
Non minor in pago, si volo, consul ero.
Istam, te ductâ, certum est inducere vestem.
Talis inest nidor: tam bene membra fovet.
9. Quem tu, nostra diem, quali candore notandum,
Ad tibi conjuncti prospera Fata, putas?
Ne curæ subeant, epuli tunc ritè parandi
Ipse dapes Sponsus pectoris igne coquam.
Tres statuam *missus*. magno ut convivia Rege
Judicet accumbens & Jove digna proco.

Per

Per pisces & aves sine fine Philoxenus ibit:
Per quidquid tellus undáque & aura fovet.
Oxygaro variare dapes, perfundere musto
Nemo me totâ novit in Urbe magis.
Prima acie statuam, materno à lacte reducti
Molle caput vituli: móxque sequetur anas.
Ossáque gallinæ succo nutrita subactæ:
(Lucentes oculos ista natare facit.)
Castaneísque recèns impletus mollibus anser?
Et par anseribus prodigiale jecur.
Ova quoque, & matres addam, celebrésque vitellos:
Hos misto sapidos reddet aroma croco.
Implebunt patulas strumosa tomacula lances,
Ventribus omento conveniente suis.
Ficedulæ venient; cúmque his aurita lagopus,
Et Scolopax. primas semper hic ales habet.
Tum pavo cum sideribus, caudáque micante:
Sic tamen, ut possis absque dolore frui.
Nam multis vitam calida inter balnea rupit.
Dura caro est; certis antè domanda modis.
Ponetur lardum: summóque exempta camino
Durati fumo sordida terga suis.
Adijciam chelas cancrorum immanè rubentes:
Quantas Eistadij pallidus Almo vehit.
Pectinibus Venetis misti jungentur echini.
Adriacum mittet munus utrumque mare.
10. Exin triticeis *Hispanica* mœnibus *Olla*,
Stabit in octonos ædificata pedes.
Arx formosa gulæ. non totus Apicius armis
Expugnare queat. ventre leonis, opus.
Inventum *Pandora* suum Dea dicere posset.
Vno terrarum continet *Orbe* bona.
Porcum Troianum pater appellare solebat:
In quo, sicut equo, quot latuere Duces;

Fer-

Fercula tot lateant mirè mulcentia Guſtum:
Sana calore ſuo, rara ſapore novo.
Excerpas, quæcunque velis ſegmenta, vel optes.
Pars elixa madet: pars tepet aſſa verū.
Nam per adulterium miſtorum mille ciborum,
Dulce fit hoc felix omnigenúmque chaos.
Conveniunt ſcombri, perdix, lucanica, turdi,
Galbula, nefrendes, dama, columba, lepus.
His & mille aliis, *Iovis* admirabile rebus
Incoquitur *cerebrum*; cum cerebróque *femur*:
Quod femur incoluit, velut incunabula, Bacchus:
Cùm Mater Semele fulmine tacta fuit.
11. Succedent bibuli, piperata opſonia, fungi.
Languentem mulcent exacuúntque ſitim.
Mollia radentur ſuccuſſæ tubera terræ,
Optima cum tonitru rupta profundit humus.
12. Omnia quis memoret? pòſt, menſa ſecunda ſequetur:
Tum nebulæ lactis, compoſitæque nives:
Quales villa dabit compreſſo flore coloſtri.
Inſpergam ficus, Italiæque nuces.
Adiiciam, ſi quæ radix irritat orexin;
Erucas, inulas, aſparagóſque ſuper:
Cúmque brevi lapatho lactucæ ſtamina longæ,
Bacca recens oleo pingue rigabit olus.
13. Uranie, nondum tibi dens in talia prurit?
Promiſſis utique eſt mota ſaliva meis.
O quoties dices: meliorem nulla maritum
Vel dare Juno mihi, vel potuiſſet Hymen.



VRA-

URANIA

M. RVMPOLDO CARALLÆ COQUO PALATINO.

Argumentum
EPISTOLÆ QUARTÆ.

URania ſeria jocis miſcet, & cum Coquo mimum ludit.

Synopſis.

1. *Cum M. Rumpoldi pinguiore epiſtola, Vrania ſarcaſticè nugatur.*
2. *Candidiſſimum procum vocat: ſed ultra ſimplicitatem deludere non ſuſtinet. Sic abnuendo, illius errores & albam mentem caſtigat tantò liberiùs.*
3. *Vnde Coquus Palatinus videatur dictus.*
4. Irridet *ejus nobilitatem & inſignia.*
5. *Tripodem item Delphicum.*
6. *Rumpoldum quidem ſibi decus aſſerere ex ingenio officióque M. Aurelij Martialis,*

notiſsimi Epigrammatum ſcriptoris: ſed dubitari poſſe; fueritne Poëta Coquorum, anne coquus Poëtarum. Cæterùm ab uno coquinario adulatore non duci argumentum communis laureæ. Martialem penè uni Domitiano Cæſari ineptiſſimo improbiſſimóque placuiſſe.

7. *Medicorum querela adversùs coquos, & eorum Libros magiricos.*

8. *Coquorum, pro ſua gloria Rom. Conſules citantium, militia qualis.*

9. *Quid Vrania de Rumpoldi eſculentis miſsis atque promiſsis ſentiat?*

10. *Quid de Thorace Schmauſiano?*

11. *Gulæ voluptatem vilem brevémque eſſe. Hoc ſanctiſsimos ab omni ævo ſapientiſsimósque viros ſenſiſſe.*

12. *Exhortatur Rumpoldum ad frugalitatem. infarciendo ſe, quid niſi morti victimam ſaginet: at mortem certè inſtare, Thoracis adipati nodos ſoluturam.*

URANIA

M. RVMPOLDO COQVO.

1. ACcipe reſponſum, nullius lautiùs unquam,
Quàm tua, MARCE, mihi charta locuta fuit.
Tam bene conditam portantia verba ſalutem
Non poterant ſtomacho non ſapuiſſe meo.
Es coquus: apparet. teſtatur epiſtola pinguis;
Et nunquam digitis inficianda tuis.
Fœtebat maculoſa notis, fumóque culinæ.
Quæſo ubi ſcripſiſti? multa litura nigra eſt.
Nec tamen indignor: quis enim ſuccenſet amanti?
Mirari potui, quod licuiſſe puto.
2. Te quoque defendo: quia *non ſtuduiſſe* fateris;
Nec fonti Aonio ſuppoſuiſſe caput.
Pinguiáque ut tractas, ſic *craſſa* urgente *Minervâ,*
Forſitan ingenium eſt non tibi pingue minùs.
Ergo tibi faveo, quantum potes ipſe favere,
Non malus es: cauſſam ſimplicitate probas.
Cæteri amatores, turba importuna procorum,
Prodiderant vitijs improba vota ſuis.
Tu grato mentis candore modeſtiùs ambis
Inconceſſa mihi, nec potienda tibi.
Quid RUMPOLDE petis? ſperas connubia noſtra?
Pro dape venalem Virginis eſſe torum?
Vera Maro cecinit: *Quid non ſperamus amantes?*
Ut detur Mopſo *candida Nyſa*, petis.
An quia *jura* potes vario confundere ſucco;
Deberi Sponſam me tibi jure putas?

Filia ſum magni, Cœleſtis origine, Regis:
Ipſius immenſi portio parva Dei.
Quantulacunque tamen, lixæ miſcebitur uni!
Dicetur *Regis Filia* nupta coquo!
Si non ollaris fumus tua lumina velet:
Perſpicies, quàm te faſcinet ater amor.
Quem, ſi non animi certè fuligo camini
Reddiderit cæcum. cæcus amore furis.
Claræ virtutis non eſt calor iſte, colórque.
Caſtiùs ille calet; puriùs iſte nitet.
3. At te ſuſpiciam Majorum ſorte beatum.
Et genere & fama nobilis eſſe cupis.
Ad *guſtum* fateor dulciſſimus, ádque *palatum* es.
Inde *Palatini* nomen habere reor.
Quid ſi etiam à *Guſtu* GUSTAVUS ritè voceris:
Agnoſcet Regem Suecia tota ſuum.
Quo titulo nihil eſſe queat præſtantius. hoc eſt,
Illuſtrem quod te, magne *Caralla*, facit.
4. Qualia, prô Superi, *Clytien*, Inſignia geſtas!
Sol coquus eſt. Flos huic aſſimulatur, ais:
Haud equidem explodo. clari Genitoris Imago es:
Clarâ ſtirpe ſatus: vix Phaëthonte minor.
Altera Nympha tua eſt. quid verſo flore ſuperbus
Expetis Uranien? altera Nympha tua eſt.
Nobilis, Æthiopum quàm quiſquam fuſcus in orbe.
Invidiam voto jam facis ipſe tuo.
Tecum Patricij nolint contendere Mauri:
Et Proceres, quotquot *torrida Zona* coquit.
Sunt tua *imaginibus fumoſis* atria plena.
Eſt ubicunque coquus, fumus abeſſe nequit.
Salve noſter amor. nidor tuus attrahit omnes.
Ut verum fatear, me quoque penè trahit.
Sed cave, ne propiùs dum fortè acceſſeris ignem:
(Indiget igne coquus, dum parat arte cibos,)
Mol-

Molliat afflatu ceras Vulcanus avitas.
Iſtis in loculis gloria veſtra ſedet.
Atque adeò, niſi provideas, tua defluet omnis
Cerea Nobilitas, facta calore Foci.
Sed quid Majores, *& quæ non fecimus ipſi*,
Jactamus? niti ſanguine, vile nimis.
Quos jactas proavos, habet & cerdonibus ortus:
Quíque boves paſcit, ſetigerúmque gregem.
An pudet Humani generis, primíque Parentis?
Monſtrato *pomo*, quod ſumus, ille docet.
Pœna gulæ, cinis eſt. Unus, peccavimus omnes.
Quid ſtrepis, Heroum noxa, pudende cinis?
En, quali faſtu ſumunt ſibi cornua lixæ:
Qui detruncat olus, *ſtemmata* longa facit.
5. Suſpicor, ut minimùm famoſa in Phocide natos
(Vervecum patria eſt) te, ſociósque tuos.
Delphos uſque venis: conſanguineúmque culinæ
Delphorum Tripodem, Delphica Fana citas.
Credo equidem, nec vana fides: mihi neſcia ne ſim,
Bœotus patriam vis memorare tuam.
Ah, bone vir, ſi quæ Delphis oracula fundit
Plena Deo, Tripodis nil habet olla tui.
6. Nempe tibi veterem laurum, criſtáſque comantes
Vertice turrigero *Bilbilis* alta movet.
Hinc quia prodierit *Marcus cognominis*: ævi
Gloria Romani, Pieridúmque lepor.
Qui tot *ſalſa*, procax *piperatáque* carmina vulgo
Edidit, hunc Vatem quis neget eſſe coquum?
Hactenus: ut pepones & condimenta loquatur;
Mon omnes illum Vatis honore colunt.
At fuerit Vates: ſed non ex ordine primo;
Quorum cæſariem laurea juſta premit.
Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis.
Et ſileat ſtatuas Bilbilis alta ſuas.

Nulla coquo posita est. majori numine debet
    Afflari, sacro dignus in ære coli.
Cæsar honoravit: sed *Flavius*, impius, amens:
    Qui potuit *muscas* vix bene ferre suas.
Tanta mihi laus sit, *calvo* placuisse *Neroni*!
    Idem autem mimo præmia quanta dedit?
Marcus perpetuò supplex mendicat, & alget,
    Omnibus in folijs esurit atque sitit.
Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo:
    Hæc sunt Hispani carmina sacra popæ.
Conviva est totus commissatórque Libellus:
    Nil aliud nostrum est, ipse fatetur, *opus*.
Agnoscísne tuum, suavissime *Marce*, Poëtam?
    I nunc, & sacris Vatibus adde cocum.
Est tamen argutus: nimirum ut rusticus anser;
    Non ut olor stagni, Mantua docta, tui.
Multa licet lepidas agitent epigrammata flammas:
    Multa quoque obtusâ cuspide trudit hyems.
Frigidus, hinc illinc, varias in carmine febres
    Spargit, & insulsos seminecésque jocos.
Adde, quòd obscœnus: poni cum falce Priapi
    Dignior; hortorum ut terreat ultor aves.
Sed nec adulator, sed nec parasitus in aula,
    Scurráque lascivâ turpior urbe fuit.
7. Quin aliqui vestrûm non degeneratis ab illo.
    In rhythmos saltem tota sagina fluit.
Editis & grandes, adipata volumina, libros:
    In quibus ut primas Dux *Epicurus* habet;
Sic blando afflatu serpens malesuada voluptas,
    Ex uno sensim serpit in omne malum.
Præstantes Medici de vobis multa queruntur.
    Perditis Humanum decipitísque genus.
Tótque novi surgunt, coquitis quot fercula, morbi:
    Mors sequitur passu, corpus ut umbra, pari.

8. Fa-


,Fabricios etiam, famæ incrementa, citâsti:
Martia tractantes arma fuisse coquos.
'abricios! qui, dum lentem coxere, triumphis
Egerunt captos sub sua signa Duces!
Aude aliquid dignum longis Annalibus. Hunnos
Eijce: Germanis obvius ito Getis.
ites, licet, ad Rhenum, ripásque binominis Istri:
Ulteriúsque rates Balthidos ire vetes.
unt longi cultri: fulgent tua cingula bullis.
Cui non obsistas, incutiásque metum?
is felix: cane *miles iô.* te Marspiter, opto,
Adjuvet, ut forti prælia corde geras.
Ah! quid ego votis nil proficientibus optem:
Scilicet in Suecos arma culina dabit!
.egimus eunuchos, contrà ducente Gradivo
Agmina, victrices conservisse manus.
Nemo coquos unquam nigri fixisse camini
Audierit summo rapta tropæa tholo.
Cùm fera bella tonant, gladij stringuntur & enses:
Haud videas cultro rem bene Martis agi.
Scis torquere veru, sed non vibrare verutum.
Aptior est thyrsus, quàm gravis hasta tibi.
In cortem, non in jaculantem pila cohortem;
Arma tua in pullos Archimagire move.
Gallinas mactare potes; non cædere Gallos:
Qui *gesa*, & toruâ *Lilia* fronte gerunt.
Castra tua in mensa. tunc formidabilis Ajax
Taurorum septem tergora vasta quatis.
9. Offers *Trojanum* pretiosa ob viscera *porcum*.
Hoc donum cepas rusticitatis olet.
Tu cave, ne similis fias, abdomine crasso,
Illi, quam laudas, prostituísque, feræ.
Turpe homini brutas animantum assumere formas.
Vitandam Circen hæc quoque caussa probat.

Si tamen ulla tibi pecus aſſumenda videtur:
Saltem illam nolis dote carere ſuâ.
Eſto igitur bellator *equus*, vel *taurus* arator:
Utque *canis* fidus, corde manúque *leo*.
Nempe leo in lepores ad cœnam cuſpide fixos:
Hoſtis ad armati murmura prima lepus.
Laudo tamen *fortémque Gyan fortémque Cloanthum*
Poſt hos Rumpoldi gloria major erit,
Saltem nil trepidans audes ſpectare cadaver;
Et quali ferro cunque parare decus
10. Quid? quòd & ornata cupias mihi veſte placere:
Sed magis ornatum moribus eſſe velim.
Dum coquis, aſſuetas ſordes vitare memento.
Munditiem ſerva prævalet iſte nitor.
Neſcio quod *Thoracis inenarrabile Textum*
Commendas, miris nobile prodigijs!
Si Neſſi ſucco non eſt imbutus, & artem
Non ſenſit magicam, Colchide pictus acu;
Rem miram narras: dotes Magnetis habere;
Indutum gratis pellere poſſe famem.
Perſpicuos inſtar vitri clareſcere nodos,
Craſſus at è multis *unus*, opinor, erit.
Qui maneat *ſtrictus* reliquis impunè ſolutis.
Unicus exſolvi ſcilicet ille negat.
Te primum expedias. nodus craſſiſſimus ille eſt.
Libera ſponte ſua cætera turba cadet.
Sed neque, ſi nubam, longævo tempore ſanum
Nodoſus thorax te tamen eſſe ſinet.
Talibus à *nodis* oritur *nodoſa podagra*.
Me miſeram! qualem triſtis habebo virum!
11. Parce tuis patinis: non ſum *patinaria* Virgo.
Venales animas tam levis eſca trahit.
Eſau lente ſuum Jus vili, vilior ipſe,
Vendidit. ô demens! quid gula læva facis?

Quas

Quas mihi delicias & libamenta propinas,
  Respuo: cœlesti sum saturata dape.
Non, ut edam, vivo: sed edo, RUMPOLDE Caralla,
  Vt vivam. vita est, vivere, non edere.
Adde: quòd ista brevis tua, nec syncera voluptas,
  Trajectu modico deficiente perit.
Omnis eam sapiens semper contempsit. & infra
  Se posuit, virtus cui pretiosa fuit.
Aspice silvicolas veteres in montibus altis:
  Inter & antrorum saxa, trucésque feras.
Libârunt modicam Cererem, Thetynque propinquam:
  Cùm Sol occiduos gurgite mersit equos.
Pro *Thorace* tuo, loricâ membra trilici
  Terga catenarum perdomuere flagris.
Próque globis vitreis, *Thorax* quibus ille coruscat,
  Vincula ferrati torta fuere globi.
12. Infelix, quid agis? genium tantummodo curas?
  Defrauda. fraudi non erit iste dolus,
Cùm semel extremam tibi mors admoverit horam:
  Quæ fixa & certa est. non bene nota tamen
Ultima, quid dubitas? sed flebilis offa coquetur
  A Lachesi: quanta est, tota voranda tibi.
Quâ simul exhaustâ, *satis est*, dicetur, obese.
  (Jam satis) *ad plures*, victima mortis, *abi*.
Perque saginatum transibunt spicula collum.
  More novo, fies tunc cibus, antè coquus.
Magnam instaurabis cœnam serpentibus atris.
  In tumulo exspectat multa lacerta tuo:
Vermibus in prædam cedet deforme cadaver:
  Inque cavum lapidem defluet omnis adeps.
Quando igitur defossus humo fætente putresces;
  Quem nunc sic pascis, dic, ubi *Venter* erit?
Altilium barathrum, captivarúmque volucrum:
  Sorbens piscosos putida fossa lacus.

Structa ubi triticeis *Hispanica* mœnibus *olla*?
Arx formosa gulæ præcipitata ruet.
Esca cavo *ventri*, *venter* pinguissimus *escis*:
Quod sequitur, nôsti; *perdet utrumque Deus.*
Hæc bene perpendens, meliùs, quàm Bacchus, amicam
Uranien dices consuluisse tibi.



DIDACUS CAMPEGIUS VILLARONA ARCHITRICLINUS MODIMPERATOR REGIUS

URANIÆ.

Argumentum EPISTOLÆ QUINTÆ.

QUod Venator & Cocus non potuere, tentat Architriclinus, jactantior prioribus. Quis enim inter pocula non disertus est? itaque omnem annonam & ganeam, Aras & Focos, Aram Bacchi, Focum Cereris sui juris esse jactat. hac magnificentia & magniloquentia sperat faciliùs alliciendam Uranien. potissima autem pars Epistolæ consumitur in descriptione Convivij Irenici, Norinbergæ exhibiti. A. 1650.

Syno-

Synopsis.

1. Campegius Architriclinus, Vraniæ in benevolentiæ signum, omnia optima, cellam & penum, séque offert, non esurialibus titulis, ut cæteri Aulici; sed utilitate præsenti circumdatis. Scires vitulum, non titulum curari.

2. Quandoquidem omnia in aula ad oris & gustûs diriguntur obsequium; se tantùm non principem esse.

3. Mappam, Regum Mensis insternendam, non esse de lana caprina. neminem autem meliùs Campegio scire, quomodo adornandum convivium. hinc æstimari.

4. De novo modo componendi strophiola in omnes figuras, & chimæras. Quantæ artis hoc oculorum curiosum illicium?

5. Carptoris artificium longè bellissimum: Regibus gratum, ingeniosa munditіes, convivis quoque salutaris: priscis usitata.

6. Describitur magnificum Epulum, Norinbergæ exhibitum Belli Ducibus & legatis, Anno M. DC. L. (quo Pax, & pacifica immo-

molabantur.) *illi nimirum Villaronam Architriclinum interfuisse.*

7. Plastica Tragemata, nebulæ dulciariæ: ejusdem convivij spectacula. emblemata ex Saccaro. non omnia ad gulam: quædam ad oculorum voluptatem.

8. Vina: fontes gaudiorum.

9. Musica.

10. Dramatica.

11. Pueri equites, Pacis testes: Ignes festivi ad æternam memoriam.

(P.S.)

12. Cum Imagine cælata, repræsentante immanitatem Symposij Irenici; cæterásque res ad hilaritatem reductæ Pacis, Norinbergæ gestas, & visas. Mittuntur & Repotia posthuma ex asservato vino Gustavi Adolphi Regis Sueciæ.



DI-

DIDACUS CAMPEGIUS VILLARONA ARCHITRICLINUS MODIMPERATOR REGIUS

URANIÆ.

1\. Villarona tuus, si nomen in hospite servi
Suscipis; ut sperans optat, amánsque vovet.
O decus, URANIE totum mansurus in ævum,
Hæc mittit Dominæ verba legenda suæ.
Perlege: fortassis non displicitura loquentur.
Offero me; si cui Nympha placere cupis.
Idque tuo, quæ certa fides, meritóque bonóque.
Promissis aberit justa querela meis.
Si te blanda juvant, & delectantia *Gustum*;
Ut tenerum sexum blanda juvare solent:
Cella, penus mecum. sicco madidóque beatus,
Subsidio *promus condus* utroque fruor.
Elige: non desunt prælis expressa Falernis
Lesbiáque, & Chiæ dulcia vina notæ.
Ni magè nostra velis: quæ Rhenus, Nicra, Mosella
Fundit, & Austriaci flava senecta cadi.
Vina levant animos, augmentáque viribus addunt.
Vincula tristitiæ solvis, Iacche pater.
Significat nomen, jus in *Triclinia* nobis.
Summum, méque adeò *Principis* esse loco.
2\. Arma gerant alij macrum spirantia fastum:
Vestiat ardenti murice sicca chlamys.
Adque latus lævum dependeat *aurea clavis*:
Qua tamen admissi nil reserare valent.

Aſt ego nec ſpecie, nec cura fungor inani.
A nobis pendent Bacchus & alma Ceres.
Idcirco longè magis obſervamur in Aula.
Re potior. nil me nomina caſſa juvant.
Nec ſteriles tituli, nec vanus fulgor obumbrat,
Officij partes utilitate probo.
3. Non minor eſt virtus inſtructam ponere cœnam,
Ordine ſervato, *tempore, ſede, loco.*
Martis adornatas acies quàm ducere campo,
Auditus fuerat dicere *Cæſar Otho.*
Refert: quadratâ ſedeas menſâve rotundâ.
Poſterior plures orbe figura capit.
Sigmâ probaverunt veteres *Lunámque*, Latini.
Oblongis uſus nunc propè major adeſt.
4. Ars nova ſucceſſit, non longo more recepta.
Dapſilibus quadris lintea fuſa jacent:
Sed tanquam in ſcena. ſpiras, variósque ferarum
Ac volucrum vultus carbaſus alba refert.
Aſſimulat ſaltum prædantis linea vulpes:
Aſſimulat dubiam linea cerva fugam.
Velifera ex velo formatur longa triremis.
Formatur torto ſtamine parva caſa.
Alarum gyros imitatur textilis ales:
Jam ferus accipiter, jam Jovis arma gerens.
Miratur mimos lini conviva ſequacis,
Miranti novitas ingenioſa placet:
Do ſignum. lavat unda manus: mantilia tergunt.
Quisque ſuo moniti diſcubuere toro.
Mox pleno incipiunt ſe Bacchanalia vultu
Prodere. cum nardo *regnat* ubique *roſa*
5. Quid ſi me videas carpentem fercula dextrè:
Seu fera ſilveſtris, Pontica ſeu ſit avis.
Eſt aliquid, multis de millibus altile quodvis
In partes ſcitè poſſe ſecare ſuas.

Ut

Ut sine conflictu, sine vi, quod in aëre pendet,
In patinam recidat; præcipitétque nihil.
In leges peccat, qui vel primoribus escam
Contigerit digitis; polluitúrque cibus.
Mensam ac si, Phineus fædâsset dira Celæno
Unguibus, & rostro, proluviéque tuam.
Usque adeò certam juvat, atque experta requirit
Temperiesque manum, temperiémque manus.
Pygargum scindam, sectúmque in membra locabo.
Iste, videns dices, ingeniosus homo est.
Talia regales oculos spectacula pascunt.
Crede mihi, ars pretio constat & ista suo.
Gallia me docuit: præceptáque sumptibus emi,
Parisijs melior nemo magister erat.
Præ *Triphero* docti sumus, & celebramur uterque:
Qui tamen Ausonia *structor* in Urbe fuit.
Nam quoties fervet regalis cœna: vocamur.
Mirandum est, quòd non Juppiter ipse vocet.
6. Est URBS IMPERII, Divo famosa SEBALDO;
Laxat ubi primos *Norica terra* sinus.
Nobilis hîc vivo consurgit Curia saxo;
Grandis Symposij facta repentè locus.
Tempore quo lætis oleæ redimita corymbis,
In campos redijt PAX, Alemanne, tuos.
Pax epulabatur; Pacis fuit ille triumphus.
Ex phiala Pacis vina bibêre Duces,
Misti Itali Belgis, Suecus cum Teutone nostro,
Pascere concordem sustinuere gulam.
Intereram, nam cuncta meo sub jure fluebant.
Sedimus ad clavum: reximus arte ratem.
Per vada, per syrtes & stagna tumentia musto
Ebria, me tenuit præside Navis iter:
Quid confecta tibi jam vesca emblemata narrem?
Tota quibus Procerum mensa referta fuit.

Expressus Brasila concrescit arundine succus:
Dulcior ille favo, candidiórque nive.
Materies habilis ducendis mille figuris,
In genus aligerum, pinnigerúmque genus.
Quod natat, it, volitat; Plastes dulcissimus auctor
Efficit, & vivis temperat ora notis.
Ergo formosis simulacris omnia plena,
Arte voluptatem congeminante novam.
Compositi stabant inter bellaria Fauni,
Cum lepido Dryadum Nereidúmque choro.
Quattuor ex rigida castella siligine ducta,
Stabant cum pinnis (bina minora) suis.
Hinc atque hinc fossæ fossas impleverat humor
Citreus. in citreo gurgite lusit olor.
Tritones suberant, conchas utrinque tenentes:
Unus odoriferas ejaculatus aquas.
Stillavit croceus prasinis ex nubibus imber.
Manârunt pressi vellera rore thymi.
8. Manârunt liquidi Bacchæo nectare fontes,
Gaudebat falli prodigiosa sitis.
Inque comas fluxere rosæ, fluxere ligustra
Fusilibus nimbis; sed tamen arte mea.
Crateras magnos statuunt: dulcíque Lyæo
Et simul accensa est, & relevata sitis.
Tunc verò primùm certatur Amystide crebrâ.
Vina coronantur: dempta corona fluit.
Et quoties cyathi: tormenta curalia mistis
Ad numerum toties intonuere tubis.
9. Hæc super accessit fidibus Polyhymnia motis,
In Symphoniacos ducta puella choros.
Continuò multæ voces sonuere per auras:
Centum ac si Cumis ostia aperta forent.
Ex uno; vivat CÆSAR per Secula, vivat:
AUSTRIAQUE incolumi Cæsare, Salva DOMUS.

10. In

10. Intulit & madidos titubans Comœdia ſoccos
  Sobria, Teutonico more, nec ipſa fuit.
Nec ſic diſplicuit: belléque & gnaviter *actum eſt*,
  Pacis agebatur, gloria, nomen, honos.
Illi deliciæ factæ. Tegeaticus Ales
  Mercurius cum Dijs adfuit ætherijs,
Et Diis æquoreis; & ſemideis Satyriſcis.
  Acclinis viridem præbuit herba torum.
Orpheus in ſilvis, ſilvam ad convivia traxit.
  Greſſus ad numerum compoſuere feræ.
Intentos citharæ licuit ſpectare leones.
  Simia cum pardo viſa ferire lyram.
Cæſaream torans *Aquilam* monſtraverat Iris,
  Fulminibus poſitis, hoſtis habere nihil.
Ecce, trahebatur *Bellum* ferale catenis.
  Hærebat nodis utraque vincta manus.
Mulciber adveniens conflatos abſtulit enſes.
  Cyclopes pyrios eripuere tubos.
Pro gladijs promunt falces. fit vomer aduncus
  Caſſis, & ex clypeo fit radiante ligo.
Surgit læta Ceres: &, poſtquam ſparſit ariſtas,
  Alternos fecit ludicra Diva pedes.
11. Vera loquor. memori ſunt hæc mandata metallo:
  Publicáque argenti ſparſio teſtis erit.
Hoc pueri nôrunt *equites in arundine longa*.
  Hoc videre ſenes: conſcia vidit anus.
Fixa refulgebant medijs umbracula campis.
  Frondibus intextis longior una domus.
Cætera ſurgebant niveo tentoria panno:
  Quæ Tyrio; ſummis plena fuere viris.
Spectavere faces, diſcurrentéſque pyropos.
  Feſtivo Siculus luſerat igne faber.
Stridebat totus flammis ſaliaribus æther.
  Evomuit rapidas plurima trulla faces:

Q. O ſi

O si tunc coràm, mea Lux, mea sola, fuisses
Spectatrix operum, magnificæque dapis!
Me puto, Fortunæ felicis imagine capta
Ambìsses ultrò: quam precor ipse modò.
Fide tamen. dabitur non una occasio talis
Lætitiæ: referent gaudia pulsa pedem.
Tempus erit, cùm Rex Leopoldus primus habenas
Ceperit Imperij, maxima Roma, tui.
Augustam NOVUS AUGUSTUS, Mænóque relicto,
Inviset, famulo quà fluit amne, Lycum:
Altera spes certa est. invitat Boica tellus,
Isara jam placidas obvia sternit aquas.
Tunc Epulis iterum genióque vacare licebit,
Me sine nulla dies læta futura redit.
Ibimus, Uranie. simul hinc, simul ibimus ambo.
Te faciet comitem Tæda petita meam.
12. Signaturus eram: cùm sculpta affertur Imago.
Artificis magni dicitur esse manus.
Urbem, Epulum, fontem rubróque albóque scatentem,
Templáque, & immensas Urbis adumbrat opes.
Adjeci plenam vino spumante lagenam:
Suecorum Regem quale bibisse ferunt:
Cùm Norimbergæ sua castra locâsset Adolphus.
Ejus relliquias credimus esse sacras.



VRA-

URANIA
DIDACO CAMPEGIO VILLARONÆ ARCHITRIclino Regio.

Argumentum
EPISTOLÆ SEXTÆ.

URania dedignata multis cæremonijs uti, contemptis omnibus, quæ Architriclinus jactavit, jactat, offert, donat, visenda permittit, inviso proco *cophinum mittit*, hoc est, repudiat.

Synopsis.

1. *Aversatur Vrania mortalem Sponsum, Immortali jam consecrata.*
2. *Iactatam potentiam Architriclini, artificium structoris plus æquo æstimari contendit: inter crepundia, mimicásque gesticulationes potiùs numerandum.*
3. *Sumptuosa miseria famelici carptoris coram Regibus: immò hercle & periculosa convivæ assidentis.*

4. *Rusticum in agro pransurum, non indigere supervacaneis hisce nugis & ineptijs.*

5. *Irridet strophiorum & mapparum in mensa textile ludibrium.*

6. *Num ergo vanissimus Villarona putaverit, Vranien gemmam Virginitatis suæ commutaturam cum lagena vini regij, Norimbergâ missi!*

7. *Bacchicum munus, sobriæ Virgini placere non potuisse. an ebrietatis fœditatem & pericula ignoret?*

8. *De immani convivio Pacis Norimbergæ celebrato quid sentiat.* Irenicum *vocari: potius* Ironicum *vocandum esse. Quis unquam audierit, pacifica duratura, in ara Bacchi immolari?*

9. *Facesseret cum parergis & analectis suis. Vraniam vocari ad Cœnam magnam cœlestis Sponsi: cui prandium terrestrium ciborum posthabeat.*

10. *Duplex Antidorum, pro oblatis donis, remittitur Campegio. Pro imagine quidem nobilior altera, repræsentans* Extremum Judicium, *à Michaële Angelo Romæ formatum. Ex Mortuali Lesso Mundi*

(*Di-*

(Dies iræ , dies illa ſolvet ſeclum in favilla.) *aliquot Rhythmi inſeruntur. quibus ſcilicet oculi auréſque meliùs imbuerentur, quàm profanis feſtivorum ignium ſpectaculis Norimbergæ exhibitis. Quando præſertim extrema Mundi cataſtrophe, undantibus incendijs ſuccincta in foribus eſſe videatur.*

II. *Alterum Antidorum, pro vino Guſtaviano Regis Sueciæ, remittitur Amphora plena acidulis Egrenſibus, animæ corporíſque morbis profutura.*

URANIA

DIDACO CAMPEGIO VILLARONÆ ARCHITRI-clino Regio.

LAbere cygnæâ, qua ſcripta es, Epiſtola pennâ:
Et pete monſtrandas aëre lapſa vias.
Hîc habitat noſter CAMPEGIUS. hujus ad aures,
Inque manum, recto tramite ducta, vola.
Forſitan invenies illum inter pocula lætum,
Curantémque penum, pampineóſque cados.
Aut ſperata tori quærentem fœdera noſtri,
Num rata ſint: (ſpes eſt anxia dulce pati)
1. Reſpondebis ad hæc; fruſtra te in vota retorques.
Illa tulit Boreas trans glaciale fretum.

Spes tua non placido pelago, ventísque secundis
Fertur, arenosum, DIDACE, littus aras.
URANIE Scylla est, nautásque absorbet hiantes.
Scylla quoque in Siculo gurgite Virgo fuit.
Mille petita procis omnes eluserat una:
Te quoque Glauce Deis annumerate maris.
Donec ab infami Circe mutata venenum
Gurgitis, & magicos horruit ipsa canes.
Certiùs URANIE lenoni obnoxia nulli
Perstat in inceptis: nec timet esse rea.
Nec timet hærentes latraturósque molossos:
Si fuget aut fugiat mille petita procos.
Tunc formidaret, si partiretur amorem.
Rivales pepulit jam suus alter amor.
Desine promissis speratam flectere velle
Nil profecturas eijce corde faces.
Cœlestis pharetræ gremio deprompta sagitta,
Altiùs in nostrum pectus adacta fuit.
2. Nec, quia *structorem* te scripseris esse peritum;
Artis ludibrium, DIDACE, curo tuæ.
Atque adeò jam nunc jubeo desistere cœptis:
Sis licèt Oeconomus chironomúsque simul
Prodigus emisti volucres præcepta secandi.
Impensi census cui, precor, ede, bono.
Heu! quanto satiùs bona Mens his empta fuisset
Sumptibus! Annæi perlege scripta Sophi.
Tu Senecam legeres indoctus, & osor honesti!
Missa quoque, alterius littera ducta manu est.
3. Quanta superstitio! tot ludere gestibus ante
Fercula, moroso cor subeunte metu:
Ne secet abruptè: ne culter futilis ictum,
Frustratámque manum ludificetur avis.
Pallet ad errorem; ceu rupto fune securim
Fugerit attoniti victima torva popæ.

Ergo sollicito vultu ridendus inhæret
Perdici, & trepidus singula membra notat,
Qualem nec Tuscus fortasse assumat aruspex;
Sacrificæ quoties inspicit exta bovis.
4. Rusticus ad stivam nugis non utitur istis,
Jucundè subigit non minùs ille famem.
Dente nigrum panem, vel glandes frangit arator:
Quódque capella facit, Pastor & ipse facit,
Vultus non variat: nullus tremor occupat artus,
Suspensámque negat ludificare gulam.
Et tamen haud paullò communi lætior esca,
Ridet Pavones, carptor inepte, tuos.
Et varios ridet mimos, quos edis edendo
Culter ei manus est. hac capit ille salem,
Ille sub ilicibus prandet, vivítque beatè:
Et movet Assyrijs Regibus invidiam.
Quò pepones? sumit permixtis allia cœpis
Quod sapit, hoc nutrit, Regula ventris habet.
O bone CAMPEGI: si scires vivere lætè:
Exires Aulâ: Rus patet omne tibi.
5. Addideras etiam, mutas te fingere posse
Formas ex lino. textile surgit opus.
Surgunt Pantheræ: fluitant delphines in undis;
In mappa varias te simulante feras.
Carbaseæ spectantur aves: in Sindone præsens
Psittacus, & ficto corpore pavo sedet.
Dic mihi: quid prodest operosas texere nugas?
Venter, non oculus, se saturare cupit.
Displicet infelix industria. quadra levatur;
Quâ motâ ingenium, totáque pompa perit.
6. At non in nugis vinum numerabitur, inquis.
Quod Rex signavit de meliore nota.
Nempe propinabis *Gustavi* Massica *Sueci*:
Quæ Norimbergæ posthuma cella tenet.

Omnis enim laticis, quem Rex admoverat ori,
Relliquias etiam creditis esse sacras.
Sume, nec invideo. quantum potes ebibe. castam
Non premit URANIAM tam rabiosa sitis:
Ut veterem extincti vappam desideret hostis!
Ah! quid sub tumulo jam bibet Umbra suo?
7. Ne mihi suspectos infundas, quæso, liquores.
LESBIA juncta viro, *Lesbia vina* bibat.
Virginibus teneris libatur tutiùs unda;
Quæ nitet illimi puráque fonte fluit.
Ebrietate calor geminatur, & inde libido;
Flammáque dat flammas: ignis in igne furit.
Nonne vetat *Sapiens* flaventi intendere vitro?
In quo blanda natant vina, venena latent.
Regulus interior, serpente nocentior omni,
Toxica diffundit, nec sinit esse merum.
Ergo haustum virus cerebrum vertigine turbat.
Mente caret ratio: mens ratione caret.
Virginibus teneris libatur tutiùs unda,
Vina levant animos: est, ubi vina gravant.
Triste furénsque caput nebulas exhalat opacas:
Inque humeros cervix fessa reclinat onus.
A puteo nullum lymphatum lympha remittit.
Insanos faciunt Orgia, Bacche, tua.
Tunc subit insuetis titubans audacia factis:
Cautior & rigidus desinit esse pudor.
Paulatímque levem jacturam censet honoris.
Avolat & nunquam casta columba redit.
Virginibus teneris libatur tutiùs unda,
Quæ tacito passu culta per arva fluit.
Rivulus ingenui trahitur sine labe liquoris.
Nullus Castalias inficit anguis aquas.
Ah! quoties Virgo malè fidens pocula sumpsit:
Móxque suum nomen perdidit atque decus!

Flo-

Florentem, ah, quoties Nympha invitatur in hortum:
In quo flos, Fauni sectus ab ungue, perit!
Vitrea virginitas, puróque simillima vitro,
More vitri fragilis frangitur, ínque vitro.
Digna novem sertis, & adhuc sua lilia gestans,
Fortè foris cœnam casta puella petit.
Post aliquot calices, lacerato stemmate, jam nil
Pota domum, præter stramen inane, refert.
Virginibus teneris libatur tutiùs unda,
Nescio quid crudi vina saporis habent.
Scilicet Uranie propter tua Cæcuba nubet!
Hoc pretium nostri vile pudoris erit!
Captivam faciet *Liber*, vinctámque *Lyæus*!
Ipsa tamen contrà, nomina stant, & agunt.
Certè me, Sensum complexa, monere videntur,
Istud ne fieri, serva futura, sinam.
8 Nescio quæ Pacis formosa tragemata jactas;
Laxat ubi primos Norica terra sinus,
Symposium, vidit quod *Quinquagesimus Annus*,
Symposium suppar, Sardanapale, tuo.
Quanquam figmentis multum indulsisse videris;
Uranie tanti non ea monstra facit.
Pax epulabatur; pacis fuit illa voluptas,
Scribis, & *Irenen* apposuisse dapes.
Si verum excutimus, si me non omina fallunt;
Pax ibi consumpta est. Sic epulata fuit.
Audio: cùm Bellum vinclis traheretur ahenis,
Arctarétque feris nexa catena pedes;
Subrisisse Duces. (Flens riserat ipse Gradivus.)
Præbuerit caussam forsitan ipse jocus,
Verbo: *bella* fuit pax hæc Comœdia belli.
Sic & apud *Plautum fabula* bella datur.
Inter abundantis Bacchi carchesia, sese
Ebria pro Pacis pignore Larva stitit.


Hoc pueri discent *equites in arundine longa.*
Hoc sene cum tremulo curva videbit anus.
Nonne vides iterum stringi pro falcibus enses?
Martia conflatus transit in arma ligo.
9. Tolle, precor, Brasilis efficta crepundia cannis.
Ad stomachum non est ista sagina meum.
Prandia tu memoras: sed enim mihi *cœna* paratur.
Magna, triumphalis; nomine digna suo.
Aurea convexo radiant Triclinia cœlo:
Astrigeræ sedes, purpureísque tori.
Hîc Epulum dabitur claudendum tempore nullo:
Quale nec Assuerus Persa dedisse datur.
Tale nihil, quamvis supráque infráque rotentur
Sidera cum Phœbo, Mensa Neronis habet.
Ipse meus SPONSUS *Mensam præcinctus obibit*:
Ipse feret lances: *ipse Minister erit.*
Divinúsque latex UNA pendebit ab UVA.
Una, (triplex eadem) me satiare potest.
Musteus Autumnus semper præstabit abundè:
Ut sitiénsque bibam, ne sitiámque bibens.
10. Signatura fui: cùm picta affertur Imago.
Archetypi famâ nobilis auctor erat:
Et plùs quàm zeuxis, Romæ celeberrimus olim.
Territat hic homines: luserat alter aves.
Sistitur extremi (quid jam pallescis & horres?)
JUDICII EXTREMI sistitur atra DIES.
Illa dies Iræ: quæ solvet secla favillâ:
Si qua fides verbis, cana Sibylla, tuis.
Si qua tuis (potiórque tuis) Rex inclyte Vatum,
Supremum Mundi vaticinate rogum.
Quis *tremor* invadet: venturo *Iudice*, Manes?
Cuncta novo *strictè discutiente* Foro.
Cùm *tuba* terrificis quatiet clangoribus Orbem:
Spargetur mirus pérque Sepulcra sonus.

Ante

Ante thronum coget suspensum nubibus omnes.
Surgite jam Iudex Iride cinctus adest.
Momento surgent. *Mors & Natura stupebit*;
Funera cùm sistent se rediviva Deo.
Quod punctum caussæ est, responsa petentur ab illis.
Lege agitur. prima est Quæstio: *quis? quid? ubi?*
Altera erit; *Quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?*
Rhetoris hinc pendet discutienda salus.
Quisque suum portabit onus. Mens conscia *Librum*
Proferet. ille foris scriptus & intus erit.
Parebunt secreta: *nihil remanebit inultum.*
Ferrea divinum jura tribunal habet.
Ah miser, *ah quid tunc reus es dicturus* ad Urnam?
Aut *Quem Patronum* supplice voce roges?
Vix Iustus securus erit, trepidante columna
Marmoreâ, fulcrum straminis ecquid aget?
Examen virtus etiam, Libræ atque *Lucerna*
Scrutantis Solymam, nuda pavénsque subit.
Hæc ita cùm fient: ubi Norinberga jacebit,
Lætitiæ sedes, Emporiúmque gulæ?
Aut, ubi tædiferæ noctes? Irenica busta?
Vulcani lusus? quos bene potus amat.
Dic: ubi tunc stridens flammis saliaribus æther?
Aut ubi festivis ignibus aura tonans?
Fumabit pontus: solvéntque incendia rupes;
Ætnáque, non simplex, totus hic Orbis erit.
Nec procùl ista Dies. prænuncia signa notantur
Turbinis, & fumi, luctificíque metûs.
Terra movet: nutant urbes: subsidere montes
Vidimus. à fundo fervet arena maris
Convasare monet FIGULUS sua *Vascula*: rubrâ
Ficta priùs rursum fracta refinget humo.
Tibia CHALDÆÆ STATUÆ *pervenit ad immum.*
Vix superest *ferrum testáque* mixta pedum.

In.

Incipiunt etiam *digiti* decreſcere *deni*!
Vaneſcunt *Vngues*, non ſine fæce ſua.
Olim prævalidus *pollex* attritus uterque.
Quot modios ſcobis hinc jam cecidiſſe putas?
Si multum reſtat: *reſtant tria ſæcula Mundo.*
Forſan & hoc minus eſt. cras minus illud erit.
Expende; & ſolitum dediſces, DIDACE, luxum.
Atque, ut dediſcas, hæc tibi Imago datur.
Hoc condimento ſapientiùs imbue menſam
Villarona tuam. nam ſalis inſtar erit.
II. Adjeci plenam vitali fonte Lagenam
Qualis fons *Egræ*, non ſine mente, fluit.
Egræ; cæſus ubi Scotâ fataliter haſtâ,
Fridlandus, multo ſanguine ſparſit humum.
FONS ubi, dico ſalit juxta confinia Lethes:
Lethæis tamen eſt fons inimicus aquis.
Quippe facit memorem, cerebríque oblivia tollens;
Ægros inſtaurat, reſtituítque ſibi.
Ille ſalutares, medicáſque, acidíque ſaporis,
Frigidus æſtivo tempore fundit aquas.
Ebibe, vel miſce, poſt pocula dena manebis
Sobrius, & dices: hic liquor ante merum eſt.



SEN-



Tres hum: Gen: Hostes.

Sed filia Iuda non ſuſtinuit iniqui, tatem veſtram. Dan. 13

Melchior Küſell f.

SENSUS V.

TACTUS.

Epiſtolarum

Liber Qvintvs.

PErvenimus ad Senſum Tactûs: cujus inſidiæ & lenocinia etiam palpari poſſunt; omnia rarò evitari, unde D. Baſilius lib. de vera Virg. *Vocat omnium ſenſuum deterrimum. emittit enim Legatos ad ſenſus, ut eorum operâ, voluptates ſuas proſequatur. placidè abblanditur, ut magnam in homine exerceat tyrannidem: ideo ſummâ curâ coërcendus.* Conſonat S. Bern. libro de Natura & dignitate Amoris Divini cap. 7. Cæteri ſenſus, maximè tres primi, adhuc honeſtiores procos gerunt: tolerabilibus oblectamentis, quamvis non omnino aut ſemper neceſſarijs, grati; multò minùs nocentes. Tactum illecebras admoventem ſuas, aut uſum qualemcunque ſola neceſſitas excuſat. Pulcra facies, ſuavis ſonus, ſuffitus cinnamomi, dulcis liquor, dapſilis ſapor,

por, durante pudicitia, non inquinant Animam. accedat amplexus: omnia corruperis. Tactus inficit, & labefactat. Quid? quòd fratres ſuos, omni jure potiores, cupiditatibus ſuis ſubſervire cogit. ſcilicet inſanis amoribus famulantur. *Viſus & Auditus*, *Olfactus & Guſtus*. Spectacula obſcœna, cantilenæ turpes, odoramenta Cypria, lautitiæ & philtra, obſequioſo conatu mercenarium miniſterium libidini offerunt, ventri obediunt. Quæ indignitas rei mellifluum Doctorem præ amaritudine animi ita exclamare coëgit. In Medit. c. 14. *Inimici mei Animam meam circumdederunt. Corpus ſcilicet, & Mundus & Diabolus. Caro mea de luto eſt; & ideo lutoſas & voluptuoſas cogitationes ab illa habeo: vanas & curioſas à Mundo: à Diabolo malas & malitioſas.* Habes, Amice Lector, ſequentium Epiſtolarum Argumentum. Quia Tactus *incedit per ignem ſuppoſitum cineri doloſo*: cautè & aliud agentes, hujus ſenſus pericula exponimus. Producuntur tres capitales Humani generis hoſtes larvati, ad uſque flagitium facundi: *Mundus*, *Caro*, *Diabolus*, maximè circa Tactum occupati. Mundus *Caupo* ſit, Caro *Aulicus*, Dæmon *miles glorioſus*. Cauſſas Nomenclaturæ ſuis locis aſſignamus. *Ad* voluptatem Mundus invitat, Caro irritat, Dæmon inflammat. *Mundus* inſtruit focum, Caro ſubmi-

ministrat fomitem: Dæmon prunas halitu ardere facit. *Mundus* præbet hospitium, Caro auget illicium: Dæmon consummat incendium. *Mundus* demulcet sensum; Caro suadet assensum; Dæmon, nisi Anima vigilet, extorquere nititur consensum, quo negato, medios inter sensus salva est Urania.



COSMVS ACOSTA MERANTIUS CAUPO MUNDI PUBLICUS

URANIÆ.

Argumentum EPISTOLÆ PRIMÆ.

D. Bern. Mundum *stabulum* vocat, *in quo jumenta, & homines similes facti jumentis insipientibus.* Nos *Cauponam* appellamus, bonarum rerum & scelerum officinam. Mundum fallacem, perditum, vanum, crudelem describit S. Joannes Evangelista passim. Hîc specimenr eperies consummatæ nequitiæ. Caupo à fæcundis calicibus disertior, quàm verior, miras Uraniæ technas scribendo atque invitando struit.

Syno-

Synopsis.

1. Cosmum, vel proprio nomine ornatum, Vraniæ placere posse; ominosè.

2. Nusquam inveniri tam instructam divitémque cauponam.

3. Ademptum quidem aliquid esse suo patrimonio, per, nescio quem, prædatorem Nazarenum ex Virgine natum: cæterùm adhuc se latissimè dominari; silvis, montibus, fluvijs, marì potentem.

4. Suum verò diversorium, sicuti regio luxu splendet, ita à regijs personis utriusque sexûs, assiduò frequentari.

5. Vtopia: Fortunatæ Insulæ: ubì risus, gaudia, epulæ, choreæ, lusus, alea &c.

6. Signum hujus magnifici Hospitij, facilè noscendum. toti Orbi constare.


7. Cur sola Vrania, in tanto hominum concursu, celeberrimam Tabernam subterfugiat?

8. An vitam solitariam professa sit? in corporis ergastulum miserè compacta, cur alio carcere se arctiùs habeat?

9. *Etiam inclusam Danaën amatori patuisse. velit, nolit, Mundi illecebras subterfugere non posse. vitaret potiùs ingratitudinis notam, diligentem beneficúmque Hospitem perosa.*

10. *Blandientis Mundi voces ex lib. Proverb. c. 7.* Intexui funibus lectulum meum: stravi tapetibus pictis ex Ægypto. Aspersi cubile meum myrrhâ, & aloë, & cinnamomo. Veni: inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies, &c.

11. *Cosmophilorum cantilena ex libro Sap. c. 2. v. 6.* Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt: & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.



COSMVS ACOSTA MERANTIUS, CAUPO Mundi Publicus

URANIÆ.

1. COsmus ab ornatu ſortitus nominis uſum,
Invitat Dominam ſub ſua tecta ſuam,
Uranie: non me nôſti? divertere tardas?
Ad quem Reginæ viſere ſæpe ſolent.
His modò perlectis noſces, & amabis amantem:
Dummodò non ſpernas; méque, ut ameris, ames.
Ille ego ſum toti caupo notiſſimus Orbi;
Dives agri, nullo limite; dives opum.
2. Non eſt divitijs inſtructior ulla Taberna.
Imperio parent cuncta elementa meo,
Quidquid vota valent capere aut optare potentum:
Quidquid Achæmenius fingere luxus; adeſt.
Non de plebe caput media ad ſubſellia tollo.
Totum ad me MUNDUM pertinuiſſe ſcias.
3. Quanquam aliquam partem ſpoliator ab æthere miſſus
Abſtulit; eſt *Mundi* pars quoque magna ſuper.
Státque patens immenſa Domus mihi: pluribus annis,
Seu rate, ſeu celeri vix obeunda rotâ.
In qua ſcum denſis cernas viridaria ſilvis,
Piſcoſos amnes, ſquamigeróſque lacus,
Arboribus junctis colles umbrantur opaci.
Quincuncem, certis legibus ordo facit.
4. Ad me divertunt Reges, ſummíque Dynaſtæ.
Me ſine deſperant eſſe, quod eſſe volunt.
Præſertim Dominæ, Tyria quæ cyclade verrunt
Marmora: quæ gemmas, ſeque, ſub aure ferunt.

Con-

Continuos numero convivas. ſemper abundo
Hoſpitibus. nunquam noſtra popina vacat.
Utque fluens Lunâ refluénsque urgente viciſſim
Æſtuat, & vertit terga, redítque mare:
Sic ingens populi fluctus venientis inundat;
Accurrunt homines more fluentis aquæ.
5. Cur non accurrant? ſunt omnibus omnia præſto;
Vina, dapes, epulæ, cum citharíſque lyræ.
Me penes *Vtopia* eſt, decantatiſſima vulgo
Inſula, fortunâ prodigioſa ſuâ.
Lactea ubi coctos eructant flumina piſces:
Ora per, in fauces, toſta columba volat.
Labitur ex truncis, ſicut de palmite, muſtum:
Ebriáque undanti nectare, ripa fremit.
Huc ades Uranie: noſtróque aſſueſce vocari
Nomine purpureis excipienda toris.
Si dubitas, viſura proba. non ſomnia narro.
Fluctuat in noſtris fabula nulla bonis.
Ædibus in latis ſe mutua gaudia trudunt:
Alternas variant irrequieta vices.
Jam fidibus, jam voce canunt: choreáſque ſequaces
Tempore noctis agunt, tempore lucis agunt.
Luditur: & pictis ſuccedit eburnea chartis
Alea, tótque oculos penè quot Argus habet.
Haurit in hoc luſu cupidos pavor atque voluptas.
Nec refert: *canis* hîc jacta ſit, ánne *Venus*.
Diteſcunt omnes. ego deficientibus æra
Suggero. majores nullus habebit opes.
At quid ſi in tabula videas bicolore fritillum!
Implebit felix teſſera Coa manum.
Huc ades Uranie: promiſſam amplectere ſortem.
Conſtantem veniens experiere fidem.
6. Fortè petes *ſignum Cauponæ* ad limina fixum,
Quale ſit; ut caupo publicus eſſe prober.

Vix errare potes. *medio Globus aëre pendens,*
Descripti partes quattuor Orbis habet,
Africa, cúmque *Asia* spectatur *America* latè:
Insidet *Europe* vecta puella bovi.
7. Huc Dea cœlestis, Juno dignissima dici:
Huc ades, ô oculis carior una meis.
Cur sterilem carpis captiva domestica vitam?
Nunquam auræ spatium liberioris ames?
8. Custodita seris, membrorúmque abdita claustris
Degis, ut obscuro carcere septa fera.
Sic & Hypermnestram crudus pater abdidit antro:
Compacta in stabulum sic Philomela fuit.
Tereus & Danaus parili feritate tyranni,
Dignus uterque pari clade perire fuit.
At tu, quæ clathris includi spontè videris;
Laxa animum curis, anxia Virgo, tuum.
Per licitas saltem, Dulcissima, quinque fenestras
Prospicias. *Sensus* exere *quinque* tuos.
9. Turribus inclusam Danaën quoque flexit amator.
Illapso rimam tegula rupta dedit.
Quid me Nympha fugis? tentes licet omnia: totum
Effugisse nequis. te quoque Cosmus alit.
Ut nolis nostro censúque ac munere vivis,
Certè aliquo titulo cogeris esse mea.
Si non in Mundo es, dic ergo, ubi degis Alumna?
Quis tibi dat victum? quis tua membra tegit?
Largior ignem & aquam: Bacchum Cererémq; ministro.
Et possum, Uranie, displicuisse tibi?
Ah! si oculos posses in pectora figere nostra!
Cessares longas nectere lenta moras.
Huc generosa veni, veniens miraberis ipsa,
Insimulare meam te potuisse fidem.
10. *Innumera aulæis, ostróque cubilia fulgent.*
Missus ab Ægypto vestijt illa tapes.

Sed

Sed tibi selectum majúsque cubile paravi.
Quem stravi lectum, candidus implet olor.
Funibus intextus Serum te exspectat, & auro;
Sindonéque ornatus multicolore torus.
Aspersique aloë, myrrháque, & cinnama fregi
Desuper. Assyrij germinis halat odor.
Pro te, dulce caput, mihi crede, tuáque salute
Vovimus: inque aram victima multa cadit.
Tres hodie dedimus vitulos: cras addere taurum
Constitui, sertis cornua vinctus erit.
Ergo veni: optatis amplexibus atque cupitis
Dicto, felices ambo fruamur, Ave.
Et cur non placidè noctem jungamur in unam?
Donec ab aurora pulsa recedat equo.
Nemo sciet, nisi nos. nam qui deprendere possent
Observatores, hinc abiere procul.
Tuta mora est. toram elabi patiere juventam?
Nec disces: quid sint gaudia, quid sit amor?
Dum virides anni, vernátque in corpore sanguis,
Utere Cauponæ commoditate meæ.
Lux genialis adest. Flagra & jejunia differ.
Utere nunc vitæ flore jocosa tuæ.
Dura, licet, tunc sis, cùm ruga senilis arabit:
Et nivibus squallens tempora sparget hyems.
Illud tempus ages curis & fletibus aptum:
Utque voles, Superis tura precata feres.
Sed jam non tetricam, jam non decet esse severam.
Optima pars ævi, primáque forma vetat.
11. Invitat Majus: Ver se formosius offert.
Eja, coronemus tempora nostra rosis.
Festino occasu videas marcessere flores.
Primo manè rubens, vespere canus erit.
Nullum sit pratum, quod non pertranseat ardor
Luxuriæ nostræ: nulla platea vacet.

Vita brevis, velut umbra fugit. Sperantibus annos
Neſtoris, obrepit ſæpe ſuprema dies.
Nunc cane, nunc ſalta. *Poſt mortem nulla voluptas.*
Serò Phryges ſapiunt. *Nunc ede, lude, bibe.*


URANIA

COSMO ACOSTÆ MERANTIO FAMOSO CAUPONI.

Argumentum

EPISTOLÆ SECUNDÆ.

CUm *Mundus* ambiguum nomen ſit, machináque hæc, quam Deus pulcher, pulcherrimam condidit, omni laude digniſſima: Urania quoque ambiguè reſpondet bifronti Jano Cauponi. Sed Pſeudocoſmum averſatur. Summa Epiſtolæ ex D. Bernardo lib. de Perſe. ſuſt. c. 30. *Ubi periclitatur Caſtitas in delicijs; Humilitas in divitijs; Pietas in negotijs; Veritas in multiloquio; Charitas in hoc Seculo nequam, &c.*



Syno-

Synopsis.

1. *Eroticâ Epistolâ improbi Cauponis perlectâ, Vranie potiùs offensa, quàm illecta, profanissimo Lenoni* saccum & corbem *offert: usitato nostratibus more.*
2. *Vt sævissimo Lycaoni nubat!*
3. *Fallax Mundus: Caupo nequam.*
4. *Vbi enim Vtopia sit, splendidum illud figmentum!*
5. *Diversorium magnificè jactatum, non Regum Reginarúmque duntaxat; sed & omnium nebulonum, scortorúmque esse habitaculum.*
6. *Meritoriam Mundi Tabernam, ebrijs Centauris plenam, vociferantium tumultibus exosam reddi.*
7. *Cesset proinde Vraniæ exprobrare captivitatem suam periculosa libertate honestiorem. enimvero se qualicunque carcere inclusam, illum infami hospitio præponere; omnésque Cosmi nequitias, & Domum sceleribus refertam aversari.*

8. Idque ſanctiſſimarum Animarum exemplis ad imitandum propoſitis.

9. Quid? Cauponam Coſmi videri ſimiliorem ſpeluncæ latronum: quam frequentiſſimæ cædes, venena, mortiferæque dape infamant.

10. Quando enim Mundus contubernales ſuos, quocunque fato extinctos, honorificè ſepeliat: tumulari plurimos ſine cruce & luce: abſque lamentis, epitaphijs, epicedijs elogijs. (Sepultura aſini.)

11. Promiſſa verò Mundi, ingenti quidem hiatu diſtendi: cæterùm pleraque, ſi non omnia, in nihilum recidere.

12. Hoc quoque de Coſmo Caupone ſpargi: quòd vinum aquaticum fallaciter obtrudat, duplicis uſu Cretæ convivas emulgens: crudeliſſimus crumenarum Tonſor, & expilator.

13. Memorabile documentum hujus experientiæ præbere Filium Prodigum, *Luc. 15.*

14. Qua ergo fronte, avarus Impoſtor audeat honeſtam Virginem ad ſua deliria & orgia, ſectámque Epicuri invitare?

15. Opti-

15. *Optimam vitæ partem, non in pessimæ vitæ finem differendam esse.*

16. *Munde vale.*

URANIA

COSMO ACOSTÆ MERANTIO FAMOSO CAUPONI.

1. VIx tua lustravi ceratæ signa tabellæ:
Pallida permixtus venit in ora rubor.
Nil pudet hunc, dixi. dat splendida verba puellis:
Et, si posset, adhuc splendidiora daret.
Cosmus ab ornatu sortitus nominis usum,
Ecce subornatis oblinit ora favis.
Ecquid ais Caupo? quid gannis callida vulpes?
Méne vocas Dominam sub tua tecta tuam?
2. Nimirũ agnosces Dominam, quam perdere quæris.
Cogis enim nuptas verbera sæva pati.
Principio blandus, fallax in fine Lycaon.
Hospes convivis sic bonus esse soles.
Atque ego juncta tibi conjux præclara videbor,
Jussa gravi scelerum subdere colla jugo.
Nunquid avarities, fastus, furor, ira, libido
Non juga sunt? durum vincla ferentis onus?
3. Heu mihi! quos montes argenti auríque feraces
Promittis! si te digner amore meo.
Digner! & ætherij jam Sponsa ac Filia Regis
Cauponi nubam! caupo maritus erit!

Antè tuus, quem ſic laudâſti, *Mundus* utrinque
    Partibus abruptis in ſua fruſta ruet.
4. *Vtopiam* jactas & lacte & melle fluentem.
    Aſſarum hìc avium pervolitare greges:
Conditos paſſim rhombos ex flumine carpi.
    Delabi in menſas oſtrea, more nivis.
At non eſſe locum talem, teſtabitur ipſum
    Nomen. at hæc nullo Terra ſub axe, jacet.
Si dens excideret, quoties mentiris; inermi
    Dens tibi jam dudum nullus in ore foret.
5. Ad te divertunt Reges: ſed & omnia monſtra:
    Quò vitâ peior, gratior hoſpes erit.
Divertunt ſcurræ, nebulones, ſcorta, laniſtæ;
    Et veſpillonum carnificúmque globus.
Haud equidem ſoleo ſuſpectum limen adire.
    Infames cellas virgo pudica fugit.
6. In primis illas; ubi virtus exſulat omnis,
    Ménsque bona, & vili venditur ære Pudor.
Lex ubi dira jubet plenos haurire culullos;
    Dum gravis ebrietas: & caput omne tremat,
Exoritur clamor: qualis, cùm littore toto
    Remigibus Batavis plena carina fremit.
Me miſeram! reſonant ululatibus atria quantis!
    Ad thyaſos thyrſis impia turba coit.
Non amo Curetes, Lapithas, Corybantiáque æra.
    Faſtidit ſtrepitus virgo quietis amans.
7. Corporis irrides miſeranda ergaſtula noſtri.
    Quòd morer, ut caueâ clauſa tenetur avis.
Inſuper in latebras, deſertáque tesqua recedam:
    Senſibus indomitis & ſua vota negem.
Indulgere mones genio, & perrumpere clathros:
    Ut MUNDI ſpatio liberiore fruar.
Coſme: malè emotam quæ mentem inſania vexat!
    Non ſentis fraudes, Caupo, patere tuas?

8. Qui

8. Qui te noverunt, ſe clauſtris abdere malunt:
Ac, ne te videant, ne videare, cavent.
Rupibus in ſummis, luſtríſque antríſque ferarum
Tutius hoſpitium ſe reperiſſe putant.
Fugit in obſcurum Romana *Euphraxia* lucum:
Deſpiciens circos, Roma ſuperba, tuos.
Fugit ab Antiochi muris celeberrima Mima:
Quæ ſumpta à *Pelagi* nomina traxit aquis.
Inſedit ſcopulos *Thais* præruptáque ſaxa;
Secretas cautes circumeunte freto.
Flebilis horrendas penetravit *Silvia* ſilvas.
Erenam texit devia & alta ſpecus.
Te quoque tot titulis famoſa *Ægyptia Pellex*,
In latebris Nili pœnituiſſe ferunt.
9. Has ſequar URANIE. Contemno palatia MUNDI,
Plenáque funeribus pulcra ſepulcra ſuis.
Namque cadaveribus tua, quæ certiſſima fama,
Funeſta ac fœtens dicitur eſſe domus.
Hic inter choreas; ille inter pocula præceps
Labitur. hic haſtâ fixus, hic enſe perit.
Qualem Cauponam dicas? *Spelunca latronum*, eſt
Veriùs. hanc Sciron incolat atque Scinis.
Crederis & ſocerum genero, fratríque ſororem,
Natorúmque patri membra epulanda dare.
Coctum apponis Ityn: ſimulas, iteránſque Mycenas,
Fœda Thyeſtæis polluis ora cibis.
Ignoſces vanis oneranti fortè querelis.
Plurima quis Famam fingere poſſe neget?
At certè tua, non uno rumore Taberna,
MUNDUS, ab his vitijs audit ubique malè.
10. Hoc quoque, ne ignores, diverſi ſæpe notârunt:
(Argue, & audaci, ſi potes, ore nega.)
Quas palpo mulces Sponſas; quibus oſcula nectis:
Quando tuas pupas deliciáſque vocas.

Effers


Effers extinctas cum risu, & pollice verso.
Impositas trabibus ludicra pompa præit.
Multas sandapilæ nullo dignaris honore.
Mordent suppresso nomine, putre solum.
Dúmque alij plorant: tuus, (ô Comœdia Mundi,)
Exequias inter sacra cachinnus agit.
Hunc ego habebo virum! talis me duxerit Atreûs!
Dijs jurata palus hauriat antè, precor.
11 Multa quidem spondes, sed inania: multa resorbes,
Verba tua in Scythiam pontus & aura ferunt.
Me tamen invitas, gratis alimenta daturus;
Defluáque ex veteri vina Falerna cado.
Túne aliquid gratis. hoc *Cosme*, quod audio, primum est.
Non favet ingenio tam bona vena tuo.
Tu gratis aliquid! nullus magis Hospes avarus:
Decidit ex mensâ mica nec ulla tuâ.
Nec me suspectes, quasi non bene cognita narrem.
Quærendi de te maxima cura fuit.
Euclio *terribilis* traduceris: Euclio turpis.
Omnis odor lucri; falsa moneta placet.
Tu gratis! qui cùm semesa obsonia ponis,
Durè convivas imperiosus habes.
Gratis! quem nuper peram & nova pallia tergo
Hospitis ignoti diripuisse scio.
Gratis! qui vino torrentem infundis aquarum:
Ut sitiens lacrymas combibat ipse suas.
12. Diceris & duplici creta fallaciter uti.
Plena statim niveis nigra tabella notis.
Horret ad aspectum *Summa* lanianda crumena:
Qui solvit, verpos mallet adisse Getas.
13. Quod loquor, expertus (refero pro millibus unum)
Filius est damno *Prodigus* ille suo.
Annon hic tecum patrium confregerat assem?
Perdidit immensas immoderatus opes.

Ex-

Excuſſis loculis, cùm nil reſtaret in arca:
Iuſſiſti validis ictibus ire foras.
Mœſtus, egéns, & vix lacero centone retento,
Heu, cuſtos vilis denique factus haræ.
Viſus adulari porcis, pro paupere victu:
Auditus ſiliquas poſcere; *nemo dabat.*
Scilicet afflicto ſuccurrens æra dediſti!
Scilicet auxilio Caupo fututus eras!
14 Improbe Decoctor. juvenile, hortaris, ut ævum
Transmittam luxu; nulláque penſa traham.
Nil operis peragens tantummodo mollia ſecter
Otia: delicias, cantica, vina, roſas.
Quippe voluptati blandæ nunc eſſe litandum.
Sat citò; ſi ſerò thus Metanœa ferat.
At verè ſentis *toto* contraria *cœlo.*
Ficum aliam demens excute: LAURUS ego.
Laurus ego Daphne: non ſum ficulnea Virgo:
Nec prendes curſu. Mens animoſa volat.
Tu popa per nubes volitantem craſſe ſequeris!
Non adeò ſtringor corpore tota meo.
Dum virides anni; Virtus adoleſcit in herba.
Sic quoque radices altiùs arbor agit.
Mollia cum fibris vitia expugnare monemur.
Eruitur facili ſic quoque planta ſolo.
Vim patitur Regnum Cœlorum. viribus ergo
Utendum eſt. centum vis adhibenda feris.
Portam aries creber feriat: Jejunia pulſent:
Flagra, cruces, lacrymæ, cum lacrymíſque preces.
Cœleſtis Solyma intranda eſt. teſtudine quaſſa
Dant aditus *arctâ* mœnia rupta *viâ.*
15. Quid faciet vetulus tanti ſub cardine belli?
Qualia vibrabit debilis arma manus?
Ille nec inſiſtet, nec ſcalam aptabit Olympo.
Ah, quando *fuſos* diruet *are* Polos!

Finge

Finge tamen *cœlum liquidum*; & revoluta natatu
    Astra, velut pisces, molle per æquor agi.
Nequidquam enabit virtus effeta treménsque.
    Siderei lactis gurgite mersa cadet.
Ad portum Probitas assueta virilibus annis,
    Ut reor, incolumis sola natare potest.
Hellespontiaco Leander tutus in alto,
    Per rapidas Juvenis brachia movit aquas.
Non tamen ista senex ausus tentare fuisset:
    Quamvis mandâsset Sesta puella proco.
Utilis est ætas ad honestos prima labores:
    Quæ sequitur, venæ deterioris erit.
Hanc tremor, & morbi comitantur; corpus ut umbra:
    Curáque mordacis suspiciosa mali.
Interea sensim minuuntur ad ardua vires;
    Quæ fractæ luxu desidiáque jacènt.
Infelix igitur, quicunque piacula seram
    In mortem differt: nec sua Fata præit.
Rariùs emendant cani, quæ crimina flavi
    Patrârunt crines. forfice nulla cadunt;
Sectáque recrescunt; quia radix altior hæret,
    Vellere quàm fundo pigra senecta queat.
Quis dolor aut fletus culpas ætatis adultæ
    Expiat? aut quotus est, qui lavet imbre genas.
Sed neque ad ægrotum longis nisi tracta capillis,
    Ambiguo passu tunc Metanœa venit.
16. *Cosme vale.* mollem thalamum mihi sternere parce.
    Suaviùs in terra dormio. *Caupo vale.*
Cantio stultorum est: ex qua tua Epistola finem
    Accipit, à casto reijcienda Choro.
Nunc cane. nunc salta. sed Fauni talia suadent.
    Nunc ede, nunc pota. Non bovis, immò suis.
Vive dies lætos: post mortem nulla voluptas.
    Instat enim tergo proxima pœna tuo.
Serò Phryges sapiunt. nunquam sapuisse videris:
    Et nunquam sapies. *perfide Munde vale.*



VERALLVS BANZA CARONTONUS

Ex antiquiſſima Familia SARCOPHILORVM NOBILIS AULICUS

URANIÆ.

Argumentum EPISTOLÆ TERTIÆ.

ALterum Humani generis hoſtem, & in primis Uraniæ, ſive Animæ Chriſtianæ, producimus CARNEM, ſub perſona Aulici. qualem, utpote ventri deditum, Germani vocant *Banzam*. Habes unius nominis Originem. *Carontoni* cognomen ipſa Caro conſanguinea impoſuit. Invento favet Hiſtoria, nam Petrus Carontonus, in Aula Roperti Regis Siciliæ nominatiſſimus, traditur fuiſſe Aulicus pinguis, obeſus, ad gulam & libidinem projectus: omnibus demum carnis vitijs coopertus. Servatoris noſtri

ſtri Oraculum Matth. 11. pronunciatum, ſi ad plura extendere liceat, deſideria Carnis contra Animam militantia, non immeritò ex AVLA ducere videbimur. Caro mollibus veſtiri amat: *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Caro Superba avitum ſanguinem jactat: Purpurati, Torquati, Phalerati, Generoſi, Nobiles; ſuámque nobilitatem ſolis Majorum imaginibus metientes, *in domibus Regum ſunt.* Caro molliter cubare expetit: Qui molliter cubant, *in domibus Regum ſunt.* Caro ſomno & otio indulget: Oſcitantes & ignavi *in domibus Regum ſunt.* Caro cupedias amat, ſaginam, convivia: *Hæc in domibus Regum ſunt.* Caro ludum aleas, theatra, choreas quærit: *Hæc in domibus Regum ſunt.* Caro Thermas & viridaria libenter frequentat. Atqui *hæc majore copia & proventu in domibus Regum ſunt.* Caro præſentibus gaudet; futura non curat, non expendit. Seculi curis atterendi & attriti, futuri immemores, Dei ſæpe penitùs obliti, multi & athei, *in domibus Regum ſunt.* Num tango Scopum, in quem Aula, & Caro, & Carontonus collineant? Denique ex tot Palatinis ſtipantibus Regem quis Carnem ſuam *odio habet, & non potiùs nutrit & fovet eam.* Optimi & dociles S. Pauli hac in lectione diſcipuli. Sed ubi ſunt illi Proceres in Aulis Principum: quibus

im-

impavidis, non invitis, si non omnino surdis illud Gregorij Magni occinere audiens: *Ut jam nihil quod Caro blanditur, libeat: nihil, quod Carnalē vitam trucidat, Spiritus perhorrescat.* Carontonum ex Synopsi agnosces.

Synopsis.

1. *Carontonus Aulicus, Vraniæ se insinuat titulo prosapiæ, ab usque Iulo Trojano originem ducentis. (quid carne avitum sanguinem jactante superbius? omnes Heroes videri volunt ex ventre Equi Trojani prodijsse.)*

2. *Fatetur, se tenerè educatum esse. (quid carne mollius? sperat, sic suaviùs placiturum, quàm horridum aliquem Scytham, duris rebus enutritum. crudos enim maritos ad crudum victum, & aspera quæque, etiam mulieres suas cogere.)*

3. *Insistit ergo, delicias suas (blandimenta carnis) enumerare.*

4. *In somno, & vestibus mollissimis.*

5. *In Thermis.*

6. *In Silvis, fontibus, amœnis æstate recessibus, atque umbraculis.*

7. *In quotidianis novitatibus, inventionibus miris.*


8. *Inter cætera oblectamenta, mirifico se pulvere, & odorifero uti, canitiem calvitiémque arcente, simul capillis aspersus fuerit: puellis quoque idoneo.*

9. *In ducendis Choreis, quacunque gentium varietate omnes Satrapas Carontono palmam cedere.*

10. *Annueret ergo votis, in Nuptias condicens. ipsam has naturam petere, argumento ex caussæ visceribus ducto. an non carne sit circumdata?*

11. *Affert insuper mirabile somnium; quo sibi promissam Vranien intellexerit.*

12. *Itaque optatissimum responsum fidenter exspectat, securus repulsæ. nihil enim formam connubij veraciùs exprimere, quàm Corporis & Animæ consensum.*



VE-

VERALLVS BANZA CARONTONVS NOBILIS AULICUS URANIÆ.

1. BAnza Carontonus tibi, qua ſine vivere nollet,
VIRGO, ſuo ductum pollice mittit *Ave.*
Redde vicem: precibúsque meis mitiſſima cede.
Cætera, quæ recolas, ſcripta papyrus habet.
Dic, precor, hoc ſaltem: noſter nos BANZA ſalutat.
Carnis eum *fruſtum* ſat reor eſſe *bonæ.*
Sum quoque: ne dubites; & non ignobile fruſtum.
Méque *Palatinum* nobilis Aula vocat.
Stirps antiqua mihi, præclaro à ſanguine Teucrûm
Sanguine ab Æneæ ſurgit origo mea.
Nomen, ad Anchiſen refero: Simoëntis ad undas
Fæcundum fecit quem Citherea patrem.
Me fratrem magni dignatur frater Juli,
(Gloria quâ major nulla) vocare ſuum!
Heu mihi! cognatum nimiùm te, blande Cupido,
Sentio: & experior tres, tria tela faces.
Et Deus ille Deûm eſt: cujus quoque Juppiter arcu
Saucius, in furias & ſua vota ruit.
Flos Aviæ roſeo percurrit ſanguine malas.
Arguit hoc tenero non minùs ore color.
2. Quódque tener dicar, non eſt hæc fama pudori.
A proavis nollem degenerare meis.
Non ſumus exciſi ſcopulis: nec tigridis uber
Suximus Hyrcanæ, Marmaricæve leæ.
Sed neque decidimus querno de ſtipite. Silva
Nunquam vagitus audijt ulla meos.
Infantem numen Lucinæ mite reſolvit:
Excepit molli Gratia blanda ſinu.

Dic, age: terribilem malles crudúmque maritum:
Ponentem in rigida squallida membra nive?
Massagetámve aliquem telis arcúque tremendum:
Pocula qui cæsi sanguine miscet equi?
Efferat assuetos victus sibi durus & asper,
Vir quoque in uxorem durus & asper erit:
Te, bona, mulcebo: quia nos mulcemus & ipsos.
Ordo meæ vitæ, fiet & ordo tuæ.
Lætitiæ dulces fructus carpemus uterque.
Non est, plebejo vivere pane, meum.
3. Delicias sector: ventri servitur. opima.
Quærimus. hæc vita est, *vivere posse bene*.
Nulla voluptatum varias mixtura per artes
Præterit; aut series ingeniosa fugit.
4. Seu sopor invitat; substratis dormio cygnis.
Mollibus in plumis languida membra cubant.
Seu vigilo: fomenta, joci, convivia, saltus,
Ludi succedunt; continuántque diem.
Purpura me byssúsque tegunt: mihi vellera Seres
Pectunt *Sithonia candidiora nive.*
Vestibus Attalicis, subsutóque induor auro.
Quo pretio constent, ipsa videre potes.
Ipsa quoque accipies tales. incedere nolim
Solus ego cultus: tu decoranda magis.
5. Sunt mihi thermarum fontes: ubi sulphure multo
Fervida defexi pumicis antra calent.
Æstuat arcanus vivis fornacibus ignis,
Subter anhelantes irrequietus aquas,
Ne noceat, frangit spumosum lympha calorem.
Truditur ex duplici fusilis ære vapor.
Hic ego considens corpus foveóque lavóque;
(Antè & pòst cyathi) visceráque imma rigo.
Humida flamma salit. neque nulla intermeat aura.
Non credis, quantùm me juvet iste tepor.

6 Sunt

6. Sunt mihi & algentes, æſtivo ſole receſſus.
Plurima ſeductum diluit umbra locum.
Hinc atque hinc vernant implexis frigora ramis:
Cùm canis æſtivos Sirius urit agros.
Cauſſa, nemus lambens fluvium, ingénsque corona.
In medio cedrus eſt, effigiésque mea.
Qualem ſi videas; hic, opto, noſter amator
Eſſe velit, dices. hic mihi Sponſus erit.
Dic quoque, & unus erit. lucum veniemus in iſtum.
Fœderibus pactis tunc tuus unus ero.
7. Quotidiana placet novitas. novitate tenemur.
Quod vetus eſt, languet; proijcitúrque foras.
Quod rarum, carum eſt Inventa noviſſima laudo,
Majorî pretio ſtantia; réque probo.
Tondeor, accingor, diſcingor: mutor in horas.
Jam mihi barba brevis, jam fruticoſa placet.
Jam braccæ tenues; jam laxis ſollibus amplæ
Quódque novum eſt hodie, non fuit illud heri.
8. Inventum mirare recens. mihi pulvis odorus
De balani nucibus malobathróque fragrat.
Nec reputes canum, ſi ſparſum videris illo:
Nam capiti prodeſt, cæſariémque fovet.
Inque juventutem longam tranſcribere vitam
Creditur: & canos adproperare vetat.
Tu quoque (nam quid te celem, cui noſtra paravi
Munera) ſi utaris: florida ſemper eris.
Quis pudor: ac dolor eſt in caluefcente puella!
Si fluit, aut nudo vertice rara coma eſt.
Me medicante tamen ſemper crinita manebis:
Damnoſum capitis nec patiere probrum,
Dedecus avertes prædicti pulveris uſu:
Succreſcent longæ per tua colla comæ.
Æquabis Cereris flavos ornata capillos:
Æquabis Triviam, florilegámque Deam.


 9. Sin-

9. Singula quid memorem ? ſaltantes vinco Sodales.
    Tota *Carontono* non habet aula parem.
Aſpiceres, quæ ſit pompam ducentis imago.
    Hac Satrapes oculis, hac placet arte magis.
Invitant Reges avidi ſpectare choreutem.
    Ignis ut exiliens, utraque planta micat.
Nam modò, ut Hiſpanus, lenta gravitate, ſuperbos
    Ad numerum paſſus molior, ínque vices.
Et modò, ceu Galli, velox contorqueo corpus.
    Miſceo nonnunquam: mixtáque forma placet.
Italus hos inter medium tenet. Anglus in omnes
    Molle latus rhombos flectit, in omne genus.
Tunc levibus ſoccis, caligíſque aſtrictiùs utor:
    Quales æſtivo tempore meſſor habet.
O ſi te, URANIE, liceat quoque ludere coràm!
    Ad modulos ô ſi ludere & ipſa velis.
Non ut Teutonico ritu (mos ruſticus ille eſt.)
    Anſatum gyres circumagenda latus.
Cura pudicitiæ primaria ſemper habetur:
    Nec damus inſertas accipimúſque manus.
Qualis Mæander Phrygijs exercet in undis
    Circuitus dubios. antè retròque ſuus:
Sic ego te averſam nunc adverſámque relinquens,
    Perſequar errores obvius ipſe meos.
Atque ut idem facias, phonaſci voce movebunt.
    Dant citharæ certos plectra fidéſque modos
Hinc tu, nos illinc: ſequimur fugimúſque viciſſim.
    Quàm mora feſtinat, tam fuga ſæpe redit.
Tu raperis lævâ; dextra mihi parte recurſus
    Carpitur: atque iterum terga, vel ora damus.
Corpore librato quoties attollor in altum:
    Suſpenſos æquâ lance repono pedes.
Vix adeò tenuis plantis intervenit aër.
    Tam nullo ſtrepitu, tam citò rado ſolum.

Non

Nonunquam ſcindo modulatis paſſibus auras;
Ut niti grallis, vel volitare putes.
Ad tales choreas nec Virgo ſevera triformis
Ire reformidet: nec veneranda Themis.
Nec, reor, URANIE, ſi ſum modò dignus, adire
Saltantem metuas hac præeunte Dea.
10. Incipe tam votis ſolennibus, incipe, flecti,
O tu pars Hominis carior una tui.
Ne mihi dura velis, aut Virgo ferrea dici,
Deprecor: ex ferro nec tua mater erat.
Hæc ſi ſpreviſſet thalamum, nihil eius haberes,
Unde fores jam nunc ſollicitanda mihi.
11. Cede etiam Fatis: quæ, qua mihi cognita narro,
Accipe cum plena non dubitanda fide.
Carpebam placidum media de luce ſoporem:
(Poſt epulas ſequitur dulcis & alta quies.)
Candida ludebant ſopito ſomnia ſenſu:
Inter quæ puer eſt viſus adeſſe mihi.
Arcum cum pharetra, phialámque alatus habebat.
Hæc erat ex auro, ſicut & arcus erat.
In phiala jacuere apices: quibus indiget uſus;
Cùm ſcriptis animus prodere ſenſa cupit.
Conſtitit: ac miſce temerè & juveniliter, inquit,
Quas tibi non vanâ porrigo ſorte notas.
Numen habent aliquod. tectas Fortuna gubernat.
Aſſiſtet cœptis Diva ſecunda tuis.
Exoptas ſponſam: votis ſed inanibus hæres
Anxius: & neſcis quæ ſit. ut ergo ſcias,
Miſce literulas: diſces ubi Virgo moretur.
Cujus enim nomen finxeris, illa tua eſt.
Pareo: & URANIE felix noménque beatum
Prodijt. O dulces in mea vota notæ!
Evigilo: geminásque manus ad ſidera tendens,
Hæc igitur, dico, Sponſa futura mea eſt.

Ingens ſtat platanus Laribus contermina noſtris;
Et ſparſis umbras frondibus alta jacit.
Protinus inſcindo venerabile nomen in hujus
Cortice; & afflatu ter, lacrymísque rigo.
Servat adhuc illud liber, & ſervabit in ævum.
URANIE creſces munere magna meo.
12. Pro quo ſi recipis devotum nomen amantis,
Sufficit. in portu ſtant mea vela ſuo.
Te peto, non aliam: quamvis ſtent mille petendæ.
Debita tu Fatis. proſpera Fata ſequar.
Te peto, quam pepigit præſens in imagine ſomni
Fatidicus nobis viſus adeſſe Puer.
Te peto: qua conjux nobis conjunctior eſſe,
Salvis Naturæ legibus ulla nequit.
Te peto jure meo: propriam ne deſpice CARNEM.
Sum conſanguineus, regia Virgo, tuus.
Utque ſuum debent Animæ mea membra vigorem:
Pendet ab URANIA ſic quoque noſtra ſalus.
Quam ſi fortè neges: (Dij lævam avertite mentem)
Invitum coges immeritúmque mori.



VRA-

URANIA
VERALLO BANZÆ CARONTONO SARCOPHI-lorum Nobilissimo Aulico.

Argumentum
EPISTOLÆ QUARTÆ.

URania responsura, promiscuè, nunc Aulicum pro Carne, nunc Carnem pro Aulico Carontono sumit. Declarat autem se non multùm affici vanâ Aulæ pompa, ejúsque sequacibus, formam, genus, phaleras, commoda vitæ, & ephemerides blandientium stultitiarum, ineptè pro Aucupio expositas, meritò à casta Virgine contemni. Rectiùs ergo facturum insulsum lenonem, si januâ, quam irrito conatu pulsat, vitatâ, saluti suæ consulat, virtutem amet, domet desideria, petulantiam refrenet; certus se brevì sistendum esse ad Divini Iudicij tribunal, severissimè exercendum.

Synopsis.

1. *Vrania paucis. Carontono renunciat, dudum alium sponsum prævenisse.*
2. *Si aptè nubatur paribus: nullam sanè paritatem inveniri inter Dominam & Servum: inter cœli & terræ portionem, Spiritum & Carnem.*
3. *Banzam in genealogia sua falli, Trojanâ origine ridiculè superbum. non alio luto fictum esse, quàm cætera Humani generis vasa, fragilia, caduca, misera.*
4. *Formatio parentum protoplastorum.*
5. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miserijs. *Iob 14. v. 1.*
6. Pulvis es, & in pulverem revertêris. *Gen. 3. v. 19.* Quid superbis terra, & cinis? *Eccli. 10. v. 10.*
7. *Iret ad cœmeteria, & in sepulcrales calvas oculos intenderet.*
8. *Prô vanitatem & stultitiam! quis unquam paullò honestior procus ab otio, luxu, inertia, voluptatibus immodicis, se commendaverit Virgini:*

9. Me-

9. *Meritò ergo inficetum lenonem irrideri; ſive purpura, ſive annulis ornetur.*

10. *Nempe etiam ad citharas & choreas invitari Vraniam! atqui ipſam pluris facere bellorum ſigna, egregia Heroum facinora, quàm ſaltus & barbita, ignavæ pacis argumenta.*

11. *Ceſſaret tandem ambire, oleum & operam perditurus. quàm enim placidum connubium ſperari poſſit inter perpetuò rixantes?*

12. *Atque adeò ſe munera Carontoni (ſive blandimenta inſidioſæ carnis) reſpuere.*

13. *Cur tantæ molis Aulicus, ac vir videri volens, ſineret ſe vinci toties à Cupidine puero?*

14. *Siquidem ſtimulos carnis Aulicus Banza patiatur: eos varijs modis retundi poſſe: puta, labore, vigilijs, jejunio, cilicijs, flagellis.*

15. *Eja, fortiter in tergum animadverteret, dura paſſurus. daret hoc, ſi verus amator ſit, honori ac precibus Dilectæ ſuæ. graviora tentâſſe in gratiam Dominarum Leandrum, Paridem, Herculem.*

16. *Quid*

16. Quid autem narret amores imbellis, socors, fallax? Aulicum Banzam videri, frequentiùs de aula, quàm de Sponsa sua cogitare: de carne sæpius, quàm de Anima.

17. Num tamen Aulæ negotijs, opinionibus atque favoribus aliquid sit intricatius, miserius atque fragilius!

18. Nuptiali somnio, quod falsum mendáxq; phantasma sit, rem verissimam reponit; Mortis memoriam, & Extremum Iudicium: quod non est somnium nuptiale.

URANIA

VERALLO BANZÆ CARONTONO SARCOphilo Aulico.

1. ET legi, & timeo: dubitóque, & cunctor, & uror:
   Non possum. *Carnem* tota negare meam.
Sed prævenit Hymen, quem vix de nomine nôsti:
   Sed distrinxit Amor, qui tuus esse nequit.
Sed mihi cœlestes accendunt sidera tedæ,
   Sed non mortale est, quod mea vota petunt.
Sed multa occurrunt, quæ nondum exacta relinquo.
   Plura quoque in scripto displicuere tuo.
BANZA potes Dominam sub jura vocare mariti:
   Méque capistratam subdere velle jugo?

Spes

Spes tua tam præceps tenera lactescit in herba.
Cur vix jacta solo semina prima metas?
Differ in æstatis maturæ gaudia falcem.
Tunc lætæ segetes: tunc bona messis erit.
2. Tantáne te fragilis tenuit fiducia formæ:
Appeteres conjux talis ut esse meus!
Nube pari, dixit quidam, *quæ nubere gaudes.*
Ducere vis? regero: duc quoque BANZA parem.
Portio ego cœli: tu Terræ filius immæ es.
Terra tua est nutrix, barbara Terra parens.
URANIE nil debet humo, cretæque tenaci.
Discreti tota sic regione sumus.
Vividus emicui divino flatus ab ore.
Inspirans faciem contulit *esse* mihi.
Haud equidem poteram, cùm sit cœlestis origo,
Ordiri vitam nobiliore modo.
3. At tu *Trojanus* cupis, Æneadúmque videri
Progenies. nescis, heu, genus ipse tuum,
Et decus, & cunas. nam longè antiquior extas,
Per priscos proavis annumerandus avos.
Nos meliùs documenta tui cognovimus ortûs.
Conditus es, postquam conditus orbis erat.
Iam Sol, jámque ignes fulgebat Luna minores
Inter, & astrorum promicuere faces.
Cùm tua de costa genitrix educta parentis,
De limóque parens editus antè fuit.
Editus hoc ille est, à quo descenditis omnes
Iactantes clarum, stemmata longa, genus.
4. De qua primus homo, formatâ prodijt ansâ,
Gleba *Damasceno* rubra jacebat agro.
Utque solet figulus testam facturus, aquosum
Permiscere lutum: mox glomerare rotam:
Nec cessat pedibus teretem versare cylindrum:
Donec ab artificis prodeat urna manu.

Sic

Sic limum gyrante Deo, *Vas* illud *Honoris*
Prodijt, electâ fictus *Adamus* humo.
Hinc caput erexit ſacrum, cœlúmque tueri
Iuſſus, ad alta pias ſuſtulit aſtra manus.
Poſt ea ſeductus deceptæ uxoris amore
Corruit, & fracto corpore plauſit humum;
Vas ignominiæ viſum deforme jacere:
Iámque obtrita ſuo pulvere fruſta jacent.
Hinc Anchiſiades tuus Anchiſéſque profecti.
Iſta CARONTONI ſtirps & origo fuit.
5. Quod *fueras, es, eris,* diſces ex ſimplice verſu;
Maſſa putris, ventris ſarcina, matris onus.
Ah! quoties mater, cùm te portavit, obortas
Emiſit lacrymas, parturiítque gemens!
Ah! quoties dixit: cur eſt mihi pronuba Iuno,
Cognita; &, ô ſpretæ virginitatis honor!
Naſceris in medijs deflendus ſordibus infans:
Naſceris ad luctum, continuóſque metus.
De quo conceptus, Naturæ lege, fuiſti:
Semine guſtato fit rabioſa canis,
6. I nunc, & jacta primordia Laomedontis,
O gravis, ô fœtens, ô ſpecioſa CARO.
Tu ſpecioſa quidem tibi & admiranda videris:
Allinis & minio ſplendida larva crocum.
Ante nitens ſpeculum ſtricto te pectine comis,
Atque tibi, velut ex ſole reflexa, places.
Ut placeas, teſtámque tuam pretioſiùs ornes,
Infectum cocco ceu videaris ebur:
Pulvis es atque lutum: (quid enim jam pulvis odorus
De balani nucibus malobathróque fragret?)
Pulvis es atque lutum, mi Banza, iterúmque futurus
Pulvis: & ex Cyprio frigidus igne cinis.
Frigidus. egelidum cinerem tua flamma minatur
Quid ſine me corpus, quàm glacialis hyems?

7. Sar-

7. *Sarcophilus* si sarcophagum consideret; alti
Fronte supercilij gloria vana cadet.
Frange miser formæ censoria vitra probandæ.
Ista nihil certi vitra tenoris habent.
Pone tibi ante oculos, animâ fugiente, cadaver.
Hoc satis in speculo, quod speculeris, erit.
Ecquid enim nudæ videas in imagine calvæ;
Quàm similis capiti quòd sit imago tuo.
Uno differtis tantùm discrimine: calva
Hujus perfecta est: perficienda tua.
Clamant ex tumulis pleni putredine Manes:
Omnia testantur funera: *Talis eris*.
Cùm truncæ nares, vacui stant luminis orbes,
Rictus hiat: possis quærere; *fastus ubi es?*
Ille jacebit humi pedibus prostratus: & inter
Serpentes serpet, vipereósque greges.
Hæc ego te credam nostris expendere verbis!
Ut decet, ut fas est, ut medicina monet.
Vana fides. meliora vides, peiòra capessis.
Frena lupos petulans excutit ore CARO.
8. Qui nomen famámque proci sectatur honesti,
Militiæ laudat præmia digna suæ.
Splendida facta refert, & cæsum fortiter hostem:
Quótque suos titulis nobilitârit avos,
Arma per & brumas, actósque in pulvere soles,
Ad sibi præfixum gloria sternit iter.
Res nova: tu nobis commendas otia, luxum:
Et cum laude cupis criminis esse piger.
Aut bibis, aut dormis: labor est venatio totus.
In studium veniunt alea, charta, pila.
Hæc forsan toleranda mihi: sed abuteris anno.
Totus in his sterilis voluitur ille rotis.
Balnea delectant. facis hoc, quod Salmacis olim,
Mollis & in tepidis Hermaphroditus aquis.

Stry-

Strymona bellator ſpumantem tranat, & Hebrum:
Aut quos torrentes nix Rhodopæa movet.
Heroës ſe Marte probant, & aguntur in hoſtem:
Feſſáque Biſtonio ſanguine membra lavant.
9. At certè Seres pectunt tibi vellera: pectant.
Vellera non faciunt atra vel alba virum.
Scilicet URANIE bombycis ſtamina curet!
In *cerebro vermis* non erat iſte meo:
Sit ſatis eſſe tuo. totam reor eſſe Meduſam.
Quantus ſtultitiæ pullulat inde globus!
Audes inductos digitis jactare Smaragdos.
Qui nitet à gemma, non nitet; illa nitet.
10. Nempe choros agiles Ducis, trepidáſque decorè.
Ignis ut exiliens, utraque planta micat.
Hoc tibi cum Satyris commune putabis & hircis.
Non ideo Heroëm te mihi, *Banza*, probas.
Nubere ſi vellem, mallem Briſeis Achillem
Ad citharam Paridis nil mea chorda facit.
In Veneris caſtris nutritus Martia neſcit.
Cui nocturna placent bella, diurna fugit.
Eſt aliud, ſtrictis aciem mucronibus antè,
Conſeruiſſe manum, quàm retuliſſe pedem.
Vidi aliquem, medio cum ſtraverat agmina campo,
Indutum ſpolijs. tu nihil ejus habes.
Quum crines alij ferrata caſſide turbant:
Tu vibras criſpos, vane Veralle, tuos.
Quum plauſtris ripas, conſtrictáque flumina rumpunt:
Tu poſt fornacem deſidioſe lates.
Quúmque alij inducunt ocreas, & pondera baltheî:
Tu molles crepidas aſtragaloſque geris.
Enſis adeſt lateri vinctus: ſed inutile ferrum
Vaginam propriam quam geris, ipſe times:
Ne diſciſſa crepet: cuſpíſque notetur abeſſe.
Gemma, caves, capulo ne cadat ulla ſuo.

Hícne meus Dominus! cum tali fœdera jungam!
Quæret amicitiam sed priùs agna lupi,
11. Quid mihi blandiris? tamen adversaris, ut hostis,
Semper rixantur SPIRITUS *atque* CARO.
Sentio, &, ah, quoties sensi obluctata rebellem!
Sæpius oblatras, officiúmque negas.
Cùm dico: *Thebas* proficiscere; vadis *Athenas.*
Cecropios linques, me prohibente, Lares.
Noctua Palladiâ, si mandem, ex arce feratur:
Cuculus affertur, vel maculosus epops.
Niteris in vetitum, vota in contraria tendis.
Quod volo, tu non vis, quódque ego nolo, facis.
Orandum est? tædet, labor instat? languida torpes.
Ut vigiles, jubeo: lumina somnus habet.
Atqui ego si cupiam defessa quiescere castè;
Non finis, & turbas, & fera bella cies.
12. Quò magis & palpum suspecto placere volentis:
Et metuo structos in mea Fata dolos.
Munera missa quidem: cum picto tænia peplo,
Et crinalis acus, chrysolithúsque duplex.
Accepisse pudet. non te misisse pudebit!
Quid mihi cum donis, Aulice vane, tuis?
Nequidquam phaleris contemptrix gaudet Amazon,
Sprevit puniceas Penthesilea togas.
Ipsa quoque aspernor: neque me delecto rubenti
Cyclade, quam cocto laverit imbre Tyros.
Sperabam Scythicos arcus, tinctásque sagittas
Sanguine, & à duris cingula rapta Getis.
Si mihi monstrares vexilla abiata Suëcis:
Cùm Lycio campo detonuere tubæ.
Dicere si posses: cepi regale tropæum,
Hoc Dorstensonij, Panneriíve fuit.
Tunc ego mirandum decora inter opima referrem,
Testari magnum voce parata virum.

13. Sed quid ego Ajacem mihi te promitto ferocem?
Cui clypeus septem terga fuere boum.
Nam tibi septemplex (tenero quia mollior hædo es)
Sufficit in scuto picta columba tuo.
Evitare nequis ridenda Cupidinis arma.
Si vir es: hunc puerum vincere disce priùs,
14. *At stimulos* inquis, *patior*. tamen ipse petulcus,
Quæ tua nequitia est, te stimulare soles.
Sponte sua turpes vergit CARO mollis ad actus.
Insano subdis cur tibi calcar equo?
Aut *Asinum* cur non alijs calcaribus urges?
In te *Centaurum* sis eques ipse tuus:
Et fodices, donec non dedignetur habenas:
Hordea dimenso désque minora suo.
Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.
Scis bene, quæ tedæ sint alimenta tuæ.
Nox, & amor, vinúmque nihil moderabile suadent.
Absque cibo mellis friget amara Venus.
Mella putes lautam Cererem, nimiúmque Lyæum.
Castiùs algebis Subtrahe ligna foco.
Vitandi socij: vitanda occasio culpæ:
Quam nisi præcaveas, culpa aliena, tua est.
Sicut enim fures, ita non minùs improba mæchos,
Ægystos, Phædras fronte comata facit.
Quòd si jam Paphio corpus fervescit ab æstu:
Et vomit indomitas pectoris Ætna faces:
Bernardi stagno, *Benedicti* immergere spinis:
Francisci patulo sub Jove quære nives.
Squallentes tunicas, setosas indue pelles:
Horrida nodosum vexet abolla genu.
Opta sexcentis centum ex vibicibus ictus:
Da mihi loricam, dic, *Guiliélme*, tuam.
Quid *Meinradus* agat, quid *Bruno*, *Arsenius*, *Ephrem*:
Ossáque *Gualberti* semisepulta, vide.

Ar-

Arboreúmque cavum Gualfrardi turbidus intra.
　Hîc vigila somnos. hîc, bone Banza, cuba.
Siqua tibi ad durum dependet taurea lectum:
　(Turpe, virum molli sternere membra toro.)
Corripe, nec cessa pulcro sævire duello;
　Fortiter armata corripe lora manu.
Armatâ, dico. Stellatum sume flagellum:
　Quod plagas faciat, ferricrepúmque sonum.
Alcides *cœli stellis ardentibus apti*
　Totum submoto pondus Atlante tulit.
Tu paucas aliquot stellas: errantia, sive
　Fixa, neges tergo sidera ferre tuo!
Subde, humeros moli. quamvis impressa cruentet.
　Sanguineo non est imbre pluisse novum.
Quot rubro validos dorso versaveris ictus:
　Tot te cœlestes crede agitare globos.
Si tuleris constans atque imperterritus: ipso
　Hercule, & Herculeo nomine major eris.
Hîc reliquis astris liceat præferre *cometam*.
　Sanguine *stella rubens*, illa salubris erit.
Tu præpone trucem: cujus longissima cauda
　In speciem *Virgæ* prosilientis abit.
Non est, quod metuas à tali sidere mortem.
　Quippe sub hoc venæ sectio sana magis.
Ergo supervacui saniem demitte cruoris.
　Crede mihi, multum puris adustus habet.
Morbis Acidalius latet (abdita febris) in illo:
　Et quædam nullo nomine digna lues.
Chirurgo tantùm persuade, ne sit avarus.
　Saucia scalpello prodiga vena fluat.
Tabida manabunt morbi per vulnera caussæ:
　Æternæ mortis quæ tibi caussa forent.
Incipe Mopse prior: torto mox fune priorem
　Insequar: &, si vis, ingeminabo flagra.

15. Si verum est, quòd amas: dabis hoc Urbanus amatæ;
Me propter cupias dura & acerba pati.
Semper enim visa est, per aquas, per tela, per ignem,
Et per mille neces digna puella peti.
Fertur Abydenus juvenis secuisse natando
Æquora. pro portu proxima Sestos erat.
Priamides classem Phrygio de monte cecîdit:
Nobile qua scortum vecta Lacæna fuit.
Sæpius audieris (quid enim notissima narrem
Mygdonijs nuribus? sed memorabo tamen)
Amphitryoniaden famosum, sæpius inquam
Audieris Joles pertimuisse minas
Illum, illum celebrem variarum strage ferarum:
Seu leo, seu taurus, seu gravis hydra foret?
Qua domuit Mundi tot monstra immania, clavam
Ante pedes Dominæ deposuisse suæ.
Linea vidisses Dilectæ pensa trahentem:
Et, si rupisset mollia fila manu;
Averso vultu, ne Lydia rupta notaret,
Conatum tussi dissimulare metum.
Sic quoque & in terris tolerata est altera Juno,
In caput impacta térque quatérque colu.
Hujus ad exemplum: neque enim es vel fortior illo,
Vel melior: disces ardua posse pati.
Verbera si fugias; mollis diceris amator;
Nec dignus, qui sic nomen inane geras.
Militat omnis amans, vulgata parœmia clamat:
Clamaret potiùs: *litigat omnis amans*.
Ecquid enim dicam? non possum vivere tecum:
Tu sine me multò vivere, Banza, minùs.
Sæpe ego contristor; quoties parere recusas:
Tu, quoniam nolo cedere, sæpe furis.
At si vera velim, neque jam celanda fateri.
Plus tibi mollicie, plus mihi amore noces.

Ergo

Ergo odisse velis, sic me sapienter amabis.
　　Odero te posthac: sic sapienter amem.
Elige: detrectas cædi? me senseris hostem.
　　Cædere te non vis? hostis es ipse tuus.
16. O si mandatis, tibi quæ dedimúsque, damúsque,
　　O si consilijs obsequerere meis.
Quid prodest totos nugis impendere menses.
　　Omnibus ex horis non vacat ulla tibi.
Vix jubar Oceano lampas Phœbea levavit,
　　Pronáque nocturnos Delia flexit equos:
Continuò redeunt curæ, sentésque rubíque:
　　Tritus Sisyphio voluitur orbe labor.
Itur in antiquam, fugienda palatia, *silvam*:
　　Unde redis serâ non nisi nocte domum.
Stas in procinctu, nutum mutandus ad omnem.
　　Ora suam speciem dant aliena tibi.
Proteus es; talísque invitus cogeris esse.
　　Ridentem mimum flebilis intus agis.
Quantula res, lunare genu? pede carpere gyrum:
　　Insertare manum; Principis aure frui!
17. Sæpe favor lactans exhalat aromatis instar:
　　Imbutus Bacchi quo fuit antè liquor.
Primâ nocte merum, fiet tibi vappa secundâ.
　　Plectitur eluso gutture vana sitis.
Omnia transpirant, quæ duratura putabas,
　　Vix manet afflati parvus honoris odor.
Lubrica quàm facili glacies discedit hiatu:
　　Tam fragili in casum gratia rupta perit.
Quíque places hodie, meritísque accepta reportas
　　Prœmia; cras idem displicuisse potes.
Interea stando varices acquiris: eundo
　　Lassa, fatigatos, crura pedésque trahis.
Omnia transcribis tamen Aulæ tempora: quid das
　　Uranie, quam te fingis amare, tuæ?

Negligis, heu! Animam. justas habet ira querelas.
Me tecum perdis. testor utrumque caput.
18. Somnia te mulcent, dicas: *temeraria ludunt.*
Nescis fallaci serpere nocte dolos?
Ergo tibi (ô Morpheûs!) nupturam somnia dictant!
In primis me sunt vaticinata tuam!
In somnis temerè vestigia velle videris,
Figere; ne casu præcipitere, cave.
Ah! quantò satius foret indagare futuri
Certa nimis tumuli tempora, quàm thalami;
Prospiceres utinam ventura sequentibus annis.
Annis! cùm restet fortè nec una dies.
Hoc minimum est, *debere mori*: debere renasci,
Ad styga, vel cœlum; majus, opinor, opus.
Tempus erit, cessent quo tempore cuncta, necesse est:
Claustra sepulcrorum concutiente tubâ.
Tunc omnis rediviva *Caro* de pulvere surget.
Inter quas omnes & tua, BANZA; Caro est.
Hæc Caro, vel nolens tumulo prodibit aperto:
Abdere quæ tenebris facta pudenda solet.
Hæc Caro, nuda, pavens, nudóque sub aëre stabit:
Quam modò Sidonio murice lana tegit.
Hæc Caro, delicias inter nutrita salaces.
Fumida sulphureis mersa coquetur aquis.
Hæc Caro, Setinæ saturata liquoribus uvæ,
Cocyti lacrymas, toxica mista bibet.
Hæc Caro, non castis toties amplexibus hærens,
Anguibus hærebit cincta, Megæra, tuis.
Hæc Caro contemptis exsultans libera frenis,
Stringetur radijs impedienda rotæ.
Hæc Caro fixa veru, flammis torrebitur atris:
Quam priùs aurata cuspide fixit Amor.
Hæc Caro, lascivâ quæ nunc *vitulatur* in umbrâ.
Usta velut Siculi *mugiet* ære bovis.

His sæpe consilijs, ô noster *Dulcis amare*;
Parebis, siquid *Dulcis-amare* sapis.
Ultima syncero claudatur Epistola voto.
Ut meliùs valeas, jam malè BANZA vale.



GASPAR ARVNCVS VENANTIUS AFER, BELLI DUX URANIÆ.

Argumentum EPISTOLÆ QUINTÆ.

EXpugnandæ Animæ, ultimum arietem admovet; *Hircus, Dæmon*, Asmodeus: quamvis sua cornua dissimulet; tamen ab hirci barba *Aruncum* vocamus. Versipellem *Proteum* quis ignorat? in omnes formas vertitur; etiam *Angelum lucis*. sed hîc personam GLORIOSI MILITIS gerit: quippe *Rex super universos filios superbiæ*. Iob 41. *Gasparis*, *sed nigelli* nomen eidem damus, usitato diverbio popularis Germaniæ. *Venantium* propter insidias cavebis. *Afer* est, quia fraudulentus: Punica fraude, super omnes Hannibales famosus. nisi callidus &

tortuoſus deceptor eſſet; non dixiſſet *Eva: Serpens decepit me.* Gen. 3. Niſi pernicioſa bella gereret; fruſtra tam ſollicitè armâſſet Apoſtolus Epheſios ſuos *loricâ juſtitiæ, galeâ ſalutis, gladio ſpiritûs, ſcuto fidei: in quo poſſent omnia tela nequiſsimi ignea extinguere.* ad Eph. 6. Dæmon igitur Amaſius eſt, & miles; Leno & Latro. Utrumque ſcitè S. P. N. Ignatius obſervavit in Regulis ſuis, ad motus animæ, quos diverſi excitant ſpiritus, diſcernendos. Decima tertia ſic habet. *Quòd Inimicus noſter inſequitur morem nequiſsimi cujuſpiam Amatoris, qui puellam honeſtorum parentum filiam, vel uxorem viri alicujus probi volens ſeducere; ſummopere procurat, ut verba & conſilia ſua occulta ſint.* Regula 14. bellatorem deſcribit his verbis. *Quòd ſolet etiam adverſarius imitari aliquem belli Ducem, qui obſeſſam arcem expugnare, atque deprædari cupiens; exploratâ priùs & munitione loci, debiliorem partem aggreditur. Sic nimirum & ille circuit Animam: & callidè inquirit, quarumnam virtutum præſidijs, Moralium ſcilicet, aut Theologicarum, ipſa vel munita ſit, vel deſtituta; eáque potiſsimùm parte, machinis omnibus admotis irruit, &c.* Hæc incredibili impudentiâ, confirmat Epiſtola ſequens crudelis proci avernalis. aſtutus & ferox formam ſuam tegit, laudat alienam: ſimulat, diſſimulat. Vraniam

niam mulcet, terret. Provocat ad audendum, invitat ad flagitium: blanditur miris, fallit veris modis. promittit ingentia, præstare solitus exigua: sæpius nihil, offert thalamum: invitat ad raptum. extenuat culpam, auget pœnam. Timorem Dei abolet: mundi curas inducit: plenus larvarum: nunquam ipse, & semper ipse.

Synopsis.

1. *Aruncus Venantius, (Dæmon) queritur admirabundus, ad tertias jam literas suas nunquam responderi.*
2. *Suspectat ipsemet, literas interceptas esse: intercepisse autem vel eunuchum custodem domûs; vel anum nutricem Vraniæ: quam ut certam veneficam, ideóque amovendam execratur.*
3. *Inclytum belli Ducem non sic despiciendum fuisse.*
4. *Misero Arunco, quanquam larvâ militari statum Fortunæ obtegenti, nescio quo fato vel fastu, ut superbis sæpe contingit, elabitur invito proprij nominis pudenda confessio.*
5. *Animi blandientis propositum, & amantis*

tis immane votum nequiter infert.

6. Laudat Vraniam, lenonum more mulieres captantium.

7. Dignam ſcilicet Virginem, propter eximiæ formæ præſtantiam, magno ambitu acquiri.

8. Et verò cur dura ſuſtineat eſſe honeſtiſſimo, clariſſimóque proco? cùm totus hic aſpectabilis Mundus, cum omnibus elementis atque ſideribus, ex amore compactus, amare nos doceat.

9. Cur donum pulchritudinis ſuæ, ſterili ſolitudine, expers conjugij corrumpere perſeveret!

10. Abſque Connubijs Mundum citò periturum.

11. Aggreditur Virginem manifeſtiùs. Quid trepidet, aut cur dubitet indulgere voluptati? eijciat vanos metus, peccata occulta, extra pudoris & pœnæ jactum ſtare.

12. Iuſtiùs timeri; ne formæ bonum fugax, inutiliter conſumatur, utendum eſſe ætate, & roſis, antequam marceſcant.

13. Si verecundiâ pudoris aut metu ſupplicij peccare formidet; Gaſparem Aruncum,

qui

qui neminem Vraniâ cariorem habeat, jurejurando effecturum; ut perpetrato scelere, nihilominus castissima habeatur.

14. *Quid? an soli effeminato Paridi, raptus Helenæ, famam peperisse debeat?*

15. *Vltimus insultus lascivi Dæmonis Arunci. Decipienda Anima nequissimè adulationibus extollitur, quasi hamo in speciosam Sirenem jacto, in prædam trahenda.*

16. *Promittuntur insuper aurei montes, fallaciâ incredibili: experientiâ Patris mendaciorum certâ: omnia audacter & militariter.*

17. *Testatur armatus & fortissimus nequam, hanc ultimam synceri animi epistolam, proprio sanguine consignâsse: quem nullum habet.*

Cæterùm non ausi fuissemus, insidiosa lenocinia Diaboli, tam luculento modo proponere: nisi ipse D. Bern. moneret: *nullatenus expedire, talia ignorari.* Propterea & Uraniæ Epistolam respondentem, justis atque efficacibus, adversùs venena, remedijs instruximus. ut Anima Christiana intelligat; quibus armis oppugnetur, quóue scuto propulsanda sint; ne subvertatur incauta. Gasp.

GASP. ARVNCVS VENANTIUS AFER, BELLI DUX

URANIÆ.

1. TErtia jam ſurdos pulſavit Epiſtola poſtes:
Nulláque reſponſi mentio facta fuit.
Unde hic contemptus? quæ talis cauſſa repulſæ?
Caſta ſupercilijs, ut puto Virgo caret.
Stet penes incultas Scythiæ rigor iſte puellas:
Quas gelidus Tanais Thermodoónue lavat.
At tu molle genus, nec non *tractabile* votis,
Uranie: qualem candida Fama notat.
Cur igitur duras aures, oculósque ſeveros,
Ad mea, quæ ſcripſi, non patienter habes?
Aut periere meæ, dolet ah! periere tabellæ:
Aut interverſa eſt Littera miſſa tibi.
2. Dij ſervum perdant ad limina cara ſedentem.
Bis pereat cultris turpibus ille ſpado.
Sin rea ſit, certo quod ſuſpicôr omine nutrix;
Improba membratim dilanietur anus.
Illa, (nihil dubites) & Colchica carmina novit:
Et magicas artes, fœdáque ſacra colit.
Docta citos lapſus fluviorum avertere cantu:
Inque caput fontis præcipitare ſui.
Docta cavas ſudo nubes inducere cœlo;
Cum ranis loquitur, brutáque ſaxa movet.
Tum quoties cinerem cribro jacit, & pede pulſat;
Sidera ſanguineis ſtant pavefacta comis.
Illa laboranti ſubducit ſplenia Lunæ:
Triſtiùs ut tenebras ſentiat atra ſuas.

Nec

Nec tulit auxilium, quatiendo cymbala matrum:
Sed jubar afflictæ torſit inane Deæ.
Cornua fædavit ſputis: tunicámque recinctam
Cum ſocco attonitos exuit ante boves.
Huic vetulæ credas! huic ſis obnoxia Virgo!
Ante tuas cuſtos excubet iſta fores?
Pelle ſepulcralem larvam lectóque, domóque.
Impia quid noſtris rebus Erynnis obeſt?
Deme fidem monſtro: qua ſum tibi parte pudendus?
Ede: quid in nobis diſplicuiſſe poteſt?
3. Quòd ſi plebe ſatus cophinóſque ferentibus eſſem;
Secretus poſſet fortè ſilere dolor.
Atqui miles ego, nec de vulgaribus unus;
Publica qui paucis menſibus æra merent.
Magnanimus Ductor legionibus impero tantis;
Quantis nec Xerxen imperitâſſe ferunt.
Et noſter terras Pontúmque exercitus implet.
Campus equis tegitur: claſſibus unda latet.
4. Quantus in ætherio ſtellarum *Lucifer* ardet
Agmine, & occurſu Dux, premit aſtra ſuo:
Tantus ego! *nullúmque parem, nullúmque priorem*
Culmine vel famâ, qui ferat arma, *fero*.
Africa me genuit: nomen Venantius Afer.
Quamvis *Aruncus Gaſpar* ubique vocer.
Quis Genitor? non ille Gigas, qui ſidera tergo:
Vno ſed tantùm *pollice* fulcit Atlas.
5. Ulteriùs quæris? ſcripto complexa priori,
Quæ vafer eunuchus, vel vitiavit anus;
Interverſa queror. totam tamen accipe ſummam:
Vror, habes animi conſcia ſigna mei.
Uror: ut in ſtipulam ſubitus cùm decidit ignis:
Et furit in ſegetes fax agitata Noto.
Ut ſiquis tinctas. ardente bitumine tedas
Immittat ſilvis: conflagrat omne nemus.

Omnia tentavi, cœpto ut desistere vellem:
Sed nimiùm facies est violenta tibi.
Annuis optanti: subsidet fortè favilla:
Plura, negans, flammæ das alimenta meæ.
6. Quæ tales oculos, castigatúmque capillum,
Purpureásque genas altera Chloris habet?
Auroræ digiti; cervix erecta Dianæ:
Docta tibi toto pectore Pallas inest.
Ipsa mari surgens si posthabeatur amatæ:
Judicio veniam det Citherea meo.
7. Te visâ, Hypsipylen pulcram contemnat Jason:
Nec damnet profugum nata Thoante virum.
Phyllida Demophoon, Briseida spernat Achilles:
Quanquam oculis conjux utraque grata fuit.
Desertáque sua dilectâ Laodameîa,
Uranien solam Protesilaus amet.
Ipse ego te propter Labyrinthum intrare dolosum
Nil dubitem: pugnax Theseus alter ero.
Sæva licèt rapidi committant prælia venti:
Nos quoque scindemus per vada salsa fretum,
O utinam tauro, pluviáve vel alite muter:
Ut potiar, quidvis Proteus esse velim.
Me miserum! ventis hæc si loquor atque procellis.
Me miserum! si non par tibi surgit amor.
Aut dicas: quid enim Virgo connubia poscam!
Num mihi sit tanti, qui simulatur Hymen?
Si simulatur Hymen, feriàt me fulmen ad Umbras:
Immáque sub pedibus fissa recedat humus.
8. Accipe, dáque manus; veniant in fœdera dextræ.
Sint Superi testes. accipe, dáque manus.
Quæ tam formosa est, ut nec sit nævus in ungue;
Aut amet, aut faciem negligat illa suam.
Aspice convexum, quanto patet æthere Mundum,
Quidquid ubique vides, nil sine amore vides.

Phœ-

Phœbus amat Phœben, seséque indulget amanti:
Nec patitur vacuam lucis egere diu.
Oscula fraterno quoties decerpit ab ore;
Plena suo toties fulget in ore Sóror.
Stella benigna Venus sidus non mite Gradivi;
Cætera conjugijs Hesperus astra ligat.
Ipsa Elementa suis mirè complexibus hærent.
Naturæ gremio nupta fuisse putes.
Ignem aër, auram Nereûs terrámque maritat.
Divide; non unus fiet, ut antè, Globus.
Ecquid amabilius volucrum grege? mutua rostris
Basia pangendo, nos quoque amare docent.
Fœcundas facit unus amor. sic ova locantur:
Quod probat in nido casta columba suo.
Contemplare feras, cornu, seu dente timendas:
Terribiles setis, calcibus, ungue, jubis.
Pantheram Panther, sequitúrque leæna leonem.
Blanditur trucibus fœmina sæva viris.
Immanes Phocæ medijs luctantur in undis.
Delphinum citharis conciliatur amor.
Soláne perpetuâ mœrens carpêre juventâ,
Nec Venerem nôris! dixerat *Anna* Soror.
Audijt hoc *Dido*; cineréſque abolere Sichæi
Cœpit, & Ænean, Ascaniúmqne sequi.
9. Si refugis quemcunque virum: quo corporis usus?
Maláque malarum, frontis & oris ebur?
Cur habiles natura tibi circumdedit artus?
Si prohibes uti, grata repende vices.
Candida quid prosunt, stringant nisi colla lacerti?
Brachia idem faciunt, quæ sine mente virent.
Sic hederam quercus, sic pampinus implicat ulmum?
Sis hedera & vitis: quercus & ulmus ero.
10. Omnes, si, veluti Daphne, connubia vitent:
Exiguo vacuus tempore Mundus erit.

Cùm

Cùm deerunt homines, iterúmne Epimethide cretos
Substituet saxo vindice Pyrrha redux?
Consule Naturam: Naturæ consule Virgo.
Fertilis hac Mater judice major eris.
11. Fortè times culpam? *simplex, ne rustica dicam*.
Audacem & timidam non decet esse nimis.
Pecca, sed retice. modò casta silentia serves.
Quis prohibet taciti dulcia furta tori?
Delectant secreta magis: mea gaudia certè
Furtivas sapiunt dulciùs inter aquas.
Inconcessa juvant. posuit Lex invida metas;
Humano Generi perniciosa nimis.
12. Tuta times? & non metuis metuenda vicissim.
Sic desiderijs plecteris ipsa tuis.
Quàm bona præterijt, nunquam revocabitur ætas.
Debilis angusto margine forma perit.
Utque rosas Auster necat atro turbine: florem
Corporis ingenui vestra trucidat hyems.
Tunc subeunt morbi: *frontem cutis arida laxat.*
Fitque albus crinis, qui modò flavus erat.
Tyndaris in speculo cùm vultum aspexit anilem;
Quæsivit, quonam tempore rapta foret.
Exigit à senio Nemesis justissima pœnas.
His, quos sprevisti, spreta carebis, ait.
Vidimus à vetulis pandi & discedere frustra;
Quæ priùs occlusæ vecte fuere fores.
Prætereunt, circúmque proci frigentia rident
Limina: pro sertis stramen inane jacet.
Hæc; reor, URANIE, nisi nos, nisi fallimus ipsos;
Hæc potiùs justi caussa timoris erunt.
Utendum est annis, fugiunt, dum dicimus ire:
Utque manum injicias, non retinere potes.
Sol redit, & redeunt Lunæ. sed quando redibit
Obsita frons rugis in juvenile decus?

Dum

Dum calidæ primâ vires ætate supersunt;
Cura voluptatis semper habenda prior.
13. Quid dubitas, & longa trahis per jurgia mentem?
Da modò consensum: cætera linque mihi.
Efficiam, ne sint tibi gaudia nostra pudori.
Præcipuam partem criminis ipse feram:
Stent fulti postes adamante, & ahenea claustra;
Servetur centum janua septa seris;
Perrumpam. neque me nutrix odiosa venire,
Nec vigil eunuchus sentiet esse propè.
Ascensu superabo domum, de nocte fenestram
Non novus est nobis pandere posse dolus.
Laneus incedam. sic multas cepimus arces.
An fraudes belli dedecuere Ducem?
Admissus faciam: famulas sopor obruat altus:
Nulla canis latret. non erit ullus obex.
14. Utque magis fidas, & sis secura futuri;
Tutior armatas suscipe Virgo preces.
Armis defendam, raptam victricibus armis.
Accedes prædæ gloria rara meæ.
Clarior URANIE fies certata maritis.
Ambiri digna es bellipotente manu.
Soláne Troja sapit Spartanis nota puellis?
Egregios fratres unicus Hector habet?
Consortem alterius Menelao abducere lecti,
Pastor in Idæis montibus ausus erat.
Quid faciat miles? lituo num fistula præstat?
Pulcrum; si baculus pugnat, & ensis hebet!
Ille puer; vir sum, magna de stirpe gigantum.
Nos regimus Gentes: ille regebat oves.
Si Boreas auferre suam valet Orithyiam:
Et mihi sunt vires, nec sine Marte manus.
Prælia monstrabunt, quæ sit mensura lacerti.
Immensum nervis robur inesse scias.

Non est in terris nostra collata potestas.
Oppositas, veluti stramina, difflo mina.
Non vis ista nova est. raptæ nupsere Sabinæ;
Rapta parens Calais, rapta Lacæna fuit.
Da mihi te facilem: vel, quod mihi penè perinde est,
Da te difficilem. munere utroque places.
15. O Dea, síquæ alia est terris cœlóque profecta;
Quásque vehit liquidi cærula concha maris.
A Jovis armigero non digna, sed ad Iovis altum
Digna torum conjux à Ganymede rapi.
Quid Phryge nunc opus est: rapiam te Iuppiter ipse,
Sidonidénque novam trans mare nauta veham.
16. Atque ubi te, formam mutans, in littore sistam:
Accurrent Matres Gasparis, atque nurus.
Celsa triumphali curru per castra vehéris:
Plausibus & festis excipienda tubis.
Succinctæ stabunt acies, & signa refigent,
Obsequio Dominam devenerata suam.
Ter flictu clypei, galeæque, ter arma sonabunt.
Lætus in URANIÆ nomine miles erit.
Quæ me regna manent, tecum miraberis ipsa.
Et dices: non sic sollicitanda fui.
Ultro debueram tantis occurrere votis.
Damnabis resides tunc pudibunda moras.
17. Ecce quater scripsi. sed litera quarta liquore
Non atro, tota est sanguine tincta meo.
Venam incîdit Amor, tetigítque Cupido sagittâ.
Heu, nimiùm vehemens illa sagitta fuit.
Uror: habes iterum notum tibi vulneris ignem.
Heu! nimis infelix uror amore tui.
Quòd si dura manes, precibúsque immota resistis:
Te dicam æquoreas evomuisse feras.
Excisam scopulis, ejectam fluctibus atris;
Quos sorbet refluo torta Malea vado.

Sint

Sint procul hæ Diræ; curæque, meique pavores.
Anxietas pœnam digna subire mea est.
Heu mihi! peccavi, fateor, correptus inani
Et prorsus fatuo cor subeunte metu.
Promittunt aliud mores & gratia formæ.
Tam tetricus non est vultus in ore tuo.

URANIA
GASP. ARVNCO VENANTIO AFRO, MILITI GLORIOSO.

Argumentum EPISTOLÆ SEXTÆ.

URania Victrix, nomen suum meritura, nequissimum procum Avernalem confundit, detegit, explodit, irridet, devovet, triumphat. Dicat nasutior: num Animam cum Dæmone sermocinari! haud equidem decorum fatemur, non hoc agebatur. decorum autem fuerit, per hanc repositam Epistolam, velut in speculo & paradigmate ostendere; quomodo Anima tentata, erga inimicissimum hostem, se gerere debeat.

Synopsis.

1. *Aperit Vrania caussas silentij sui, ad tres Arunci Epistolas non respondentis. At enim à nullo spadone, aut anicula nutrice magica, uti Venantius Afer suspicatur, se custodiri. Nullam non honestissimam Virginem in Gynæceo suo versari. Præcipuas* Fidem, Spem, & Charitatem *vocari. Ex quarum una, quæ* Pistis *dicitur, flagitiosi cujusdam militis & improbissimi lenonis insidias, multarúmque Virginum strage jam infamis nequitiam didicerit.*
2. *Caterùm & Gynæcei suæque Conscientiæ Moderatricem semper adesse Matronam aliquam venerabilem,* Gratiam Dei *dictam: absque cujus licentia facere nil soleat. Illam denique ursisse, ut rescriberet: formulámque ejurandi armatum procum dictâsse.*
3. *Quid funestos amores suos, ipse turpissimus, obtrudere audeat ingenuæ atque invitæ Virgini?*

4. *O deformem procum! exclamat Pistis mea.*

5. *O formosissimum sponsum, cœlestem: cui pridem Vranie se totam consecrârit. Ejus descriptio, ex Cant. Canticorum, c. 5. a v. 10.*

6. *Talem scilicet æmulum, quia jussus olim adorare noluerit; cecidisse nescio quem Thrasonem,* Luciferum *dictum. eam famam vagari.*

7. *Ad hæc, jam quoque se inaudisse, quos comites ubique secum semper trahat; Anum fœdissimam (concupiscentiam) cæcum item Messorem: (Mortem) sed & absurdissimas mulierculas, quæ Bacchæ vocentur (Furias malæ Conscientiæ.)*

8. *Alibi venetur, piscetúrve: Vraniam nec lupum, nec Lupam esse.*

9. *Multis quidem commendâsse thalamorum & mortalis connubij gaudia: cùm tamen hoc vitæ statu, ac veriùs captivitate, vix quidquam reperiatur molestius.*

10. *Quasi verò Cœlibatus non sit suavior atque lætior.*

11. *O panurgum improbum! Spiritum nequam! Aruncum lascivum! etiam ad raptum Virginis descendere! hic enimvero*

versutissimum audacissimúmque nebulonem patefecisse barathrum crudelis ingenij. facesseret in malam crucem, & omnia tormenta Diaboli. Vade Satana.

URANIA

GASP. ARVNCO VENANTIO AFRO, MILITI GLORIOSO.

1. QUid quereris toties, & nostra silentia culpas?
 An non respondet Virgo silendo satis?
Sæpius ad surdos, ut Scribis, Epistola postes
 Impegit, fructu deficiente, tua.
Non sanè; quòd eam custos eunuchus abire
 Jusserit in furnum: vel lacerârit anus.
Quæ mecum degunt, *Agapéque*, & *Pistis*; & *Elpis*,
 Sunt juvenes; triplex aspicienda Charis!
Has fidas habeo comites: transítque per harum
 Experienda priùs Littera missa manus.
Legerat ex missis unam doctissima *Pistis*:
 Protinus exclamat: Subdolus hostis adest.
Nosco characterem: suspectis venit ab oris.
 Illita fraus. Stygium litera sulphur olet.
Militis ambigui malefida encomia vita
 URANIE. laus est insidiosa tibi.
Illaqueare cupit, prædámque latentibus hamis.
 Ducere: & idcirco gurgite turbat aquam.
Quid tibi cum gladijs & bellatore superbo?
 Vis Ducis ignoti barbara castra sequi?

Non

Non ſemel audieris de quodam Milite: præceps
Qui datus ex alta ſede repentè fuit.
Fulgure diſceſſit cœlum: pepulítque rebellem
In barathrum, tota cum legione, Ducem.
Forſitan hic ipſe eſt. quid dico? *forſitan*: ipſe eſt.
Præſentis ſignum tinnit in aure mea.
Exſul, inops, triſtis modò fertur ubique vagari.
Si ſapis & ſentis; iſte cavendus erit.
Nomina confingit: jámque eſt *Venantius Afer*;
Gaſparis Arunci jam grave nomen habet.
Mentitur vultus, & ſe transformat in omnes.
Unus perſonas hiſtrio mille gerit.
Quámque hodie larvam ſumit; cras ponere gaudet:
Rurſus & in juvenum tranſit & ora ſenum.
Nnnc leo. nunc vulpes. agnus mutatur in hircum.
Sibilat interdum. Sibila Virgo cave.
Quin dubito; num ſit Carthagine natus hic Afer,
Sicut ait *conſtans in levitate ſua*.
Carthago modicâ ferrugine tingit: at iſte
Supra carbones dicitur eſſe niger.
Ex alia fortaſſe calet fornace. caminos
Hic color accenſos ſub Phlegethonte refert.
Dum tempus, dum Fata ſinunt, diſcrimina vitæ:
Tuta minùs credas, quo ſpecioſa magis.
Nec te commoveant promiſſæ fœdera Tædæ,
Punicus eſt: fallit. *Punica nulla fides*.
Quæ tibi promittit; promiſit mille puellis.
Credulitas damno pluribus eſſe ſolet.
Offert delicias, & plenum montibus aurum.
Ipſe tamen Codri pauperis ora gerit.
Inſidiatorem fuge Virgo miſerrima ſævum.
Ni fugis, ingenui prædo pudoris erit.
Finierat *Piſtis* diſciſsâ in fruſta papyro.
Senſerunt *Agape* prorſus & *Elpis* idem.

2. Jam, puto, *Venanti*, cauſſas intelligis: & quæ
Scripturam potuit detinuiſſe mora.
Scribere non licuit. nec, ſum quia regia Virgo,
Idcirco nobis cuncta licere putes.
Nec tu me ſolam credas, ut libera peccem:
Aut facilem culpæ dixeris eſſe viam.
Nam præter comites vigilat; curáque fideli
Sedula maternum GRATIA munus obit.
Arcta, mihi credas, poſita eſt cuſtodia valli.
Sub tam ſollicita Præſide pauca licent.
Pulcra quidem, gratóque nitet venerabilis ore:
Sed magis in tetricam vergit adulta Deam.
Imperat, & terret. *comitatur, prævenit, inſtat*,
Sollicitátque metu pectus, & urget opus.
Abſque ejus nutu (tanta eſt vigilantia) tergum
Vertere vix poſſum; víxque movere pedem.
Pœnas cunctanti parere, abitúmque minatur:
Scítque ſupercilio ſigna loquente dare.
Hanc moderatricem mea ſuſtinet Aula potentem:
Vivo, ut ſub Domina degit Alumna ſua.
Non auſim minimùm tam dulcem lædere Matrem.
Pupilla eſt oculi GRATIA cara mei.

3. *Deſine méque tuis incendere téque querelis.*
Firmari pactum quod cupis, iſta vetat.
Præſcripsítque modum: quo, ſi quod fœdus iniſſem,
Ceu contra Leges, fœdus inane foret.
Verbáque dictavit: calamo dictata recepi.
Servo perpetuùm mente recepta meâ.
Execror, Eiuro, Deteſtor, Abominor, Odi.
Quina veneficijs verba repono tuis.
Ut dona accumules, ut temet in omnia cogas:
Ut mihi blandicias vímque adhibere pares:

Exe-

Execror, Ejuro, Deteſtor, Abominor, Odi.
Haud alias voces exprimet ullus amor.
Ullus amor! ſed nec rabies, odiúmque tyranni.
Nullus ab angue timor: nullus in igne dolor.
Fige rotas; incende bovem; diſpone ſariſſas;
Multiplica cædes: inijce membra rogo.
Execror, Ejuro, Deteſtor, Abominor, Odi:
Mille parata cruces, mille ſubire neces:
Nil mihi ſit tecum nequiſſime; nil tibi mecum.
Unà convenient nox priùs atque dies.
Tu tamen his prodis tua vota & crimina verbis:
Vror: habes animi conſcia ſigna mei.
Eja age, Riphæis nivibus reſtingue calorem.
Ferventem gelidis abluat Iſter aquis.
Vreris? uraris, meritos Deus augeat ignes.
In pice pax tua ſit, ſulphureóque lacu.
4. Támne levem fore me ſperâſti ſcurra puellam?
Nil, ut amem, prorſus dotis & artis habes.
Sed neque forma placet: quamvis celare venuſto,
Schemate coneris; diſſimuléſque tuam.
Qui te viderunt, præcinctum cornibus ajunt:
Et bifidos, quales Faunus, habere pedes.
Lumina ſtant flammâ, mento capricornus adhæret.
Hoſtibus obveniat Sponſus hic, opto, meis.

5. Me tenet alter Hymen, caſtiſſima dixerat Agnes.
Cur ego non repetam? me tenet alter Hymen.
Cujus vir matri neſcitur, Fœmina Patri:
Bis genitum Numen, Virgine natus homo.
Ille meis gemmas pretioſas auribus, ille
Sidereum circùm colla monile dedit.
Hujus in amplexu niveo caſtiſſima Virgo,
Tactu candidior fio recente nive.

Plura petis? quanquam formam non nosse mereris:
Illius effigiem degener hostis habe.
Dilectus meus est, qui Candidus & Rubicundus
Lilia purpureis miscuit alba rosis,
Fulget, & ex vivo *caput* altum germinat *auro:*
Sunt Elatis similes sunt violísque *comæ.*
Quo *corvus* tenebris plumarum lucet in ipsis;
Illo cæsaries uncta colore nitet,
Quæ *sedet ad rivos* satur hausti lactis, *aquarum:*
Sicut ab *areolis* spirat *aroma* satis.
Cujus labra mihi gratas redolentia guttas,
Myrrham distillant: primáque myrrha fluit.
Tornatæq; manus hyacintho divite *plenæ:*
Venter ebur; circùm plurima gemma viret.
Par Cedro Libani species: sectásque columnas
Fortia de Pario marmore crura putes.
Suavè fragrat guttur; loquitúrque suavia valde:
O desiderijs unica meta meis.

6. Cordis, ad hunc, jaculum flammatis dirigo pennis.
Hic Scopus est: *Scopulus qui fuit antè tibi.*
Hunc nec adorâsti: coleret nec ut ullus, inique,
Constat de socijs te voluisse tuis.
Quomodo de cœlo cecidisti Lucifer alto.
Manè oriebaris. vespere casus eras.
Sordide trans Erebum, septus bubonibus atris,
Cúmque satellitio Leno facesse tuo.

7. Hoc quoque inaudivi: (docuit nos omnia *Pistis.*)
O Immansueta tuum cingere monstra latus:
Cum turpi procerus anu, vix ossibus hærens,
Continuus lateri dicitur ire comes:
Qui, cùm sit cæcus surdúsque, & naribus orbus,
Falce tamen curua proxima quæque metat.

Nescio, quas alias crinitas sontibus hydris,
More Mimallonidum Bassaridúmque sequi.
Sint procul hæ pestes. venientibus obsero portas.
Pectoris obijciam mœnia, si sit opus;
Quò minio pictæ facies? quid in agmine longo
Personata cohors; quid sibi signa volunt?
Ecce, procax mulier, tumidas nudata mamillas,
Infert sublimem se petulante gradu.
Lumina transparens velata sagittifer Ales,
Supra maternum provolat, ecce, caput.
Ducitur ut passer religatus pusio filo.
Dextra manus quassat spicula, læva faces.
Scilicet hæc pompa est, qua se Venantius Afer
Astutum nobis insinuare cupit!
Nil moror illecebras, discede Thalassio, tales.
Quas spargis, veræ sunt, tua dona, *nuces*.
In nucibus numeres cum sertis flammea, peplum,
Annulum, & in quinas pinea torta faces.
In nucibus numeres vagitus, pignora, cunas
Quot mala *nux* talis sæpe *vel una* creat?
Quare adeò desiste tuas mihi comere nugas:
Sub quibus exitij semina sparsa latent.

8. Aucupis indicium, fallacia sesama, nosco.
Altera captanda est, ut capiatur avis.
Adverto viscúmque & connubialia vincla.
Nescio quid stantis littore virga tenet.
Quære lacus alios: vetitâ piscaris in undâ.
Nympha suum Dominum gurgitis hujus habet.
Si nescis, etiam Tedas aspernor honestas,
Nedum quæ fœdo Ditis amore calent.

9. Nam quid conjugio queat esse molestius usquam?
Servit enim, servit, quæ sibi quærit Herum.

Par

Par status Oceano volventi ad littora fluctus.
　　Nulla fides pelago : nulla quies thalamo.
Proxima naufragio puppis, torus esse videtur.
　　Ut Boreas cesset ; sæva triremis erit.
Nam vir ubi muliérque, jugum coguntur in unum :
　　Vincula captivos & mala longa tenent.
Gutta voluptatis pensatur amystide luctûs :
　　Mélque venenatum est ; gaudia felle madent.
Dicunt nupturæ : noctem veniamus in unam :
　　Candidior medio nox erit illa die.
Ast ubi parturiunt, & in horas hora timetur ;
　　Fessáque maturum viscera tendit onus :
Tunc primùm matres ululant : tunc vapulat Eva :
　　Tunc *pomum* arrodunt exitiale nurus.
Tunc gula damnatur tantorum caussa malorum.
　　Optatur lecti cælibis alta quies.
Ingemuit moribunda Rachel ; uterumque ferentem
　　Gentes contorsit mœsta Rebecca duas.
Ipse novas partus curas parit : ínque dolores
　　Fæcundus saniem matris ad ossa trahit.
Pica parit morbos : pariunt fastidia cunæ.
　　Vagitúsque frequens tædia longa parit.
Quid memorem lites ? violenti jura mariti
　　Sæpius uxori sunt onerosa nimis.
Illa flet : hic ridet. gemet hæc : lætabitur ille.
　　Verum erit ô quoties ? hic bibit, illa sitit.
Tale nihil timeo : sed nec vicina timebat
　　Thestylis ; elusa est non minùs illa dolo.
Juncta viro totos urenti ad dolia Soles,
　　Nocte nihil præter verbera sæva tulit.
Et velit huic quisquam sanus se addicere vitæ !
　　Sponte velit nassam quærere truta suam !

Cau-

Caudinis præstet submitti corpora furcis?
Et juga taurorum qualiacunque pati.

10. Virgo puerperij morosis libera curis,
Incipit in terris cœlum habitare suum.
Expertem luctûs, formidinis atque doloris,
Securam placido Pax fovet alta sinu.
Mutua tranquillam non libant jurgia noctem:
Sed neque Zelotypam cura molesta coquit:
Subjectos *Sensus* tanquam REGINA gubernat.
Hanc verè Dominam dixeris esse sui.
Mens niveis volitans pennis, sine crimine pura;
Stratus liliolis Lectulus, ille meus.
Non opus est myrtum, Paphiósque intendere flores:
Suaviùs aspirat virginitatis odor.
Ut nitens speculum, jaculis à Sole reflexis,
Ingeminat radios, Sol velut ipse suos:
Sic Anima illustris, jugi satiata sereno,
In castum Sponsi transit & ipsa jubar.
Utque scatet vivo de fonte volubilis unda;
Pérque recens gramen limpida currit aqua:
Sic anima illimis, liquido de Numine manans,
Undique delicijs innatat hausta suis.
Hunc thalamum turbare paras fœdissime miles.
Pulsus abi. reddo symbola: pulsus abi.

11. Quid? quod & amplexum per vim, raptúmq; minaris?
Abstrahe lascivas improbe leno manus.
Non fuit ex primis lenonibus ullus amator,
Tam sermone procax, ingenióque levis.
Non, ut honestus, amas: nec vis, ut honestus, amari.
Armatas odit libera Virgo preces.
Siccine me invitâ tentas scelerate potiri?
An quia digna rapi, credor & apta rapi?

The-

Thesea, vel Paridem quamvis imitere protervum:
Infames Helenas non imitabor ego.
Scilicet Uranie fuerit tractabilis hirco!
Abstrahe lascivas improbe leno manus.
Debebat satis esse semel Proserpina rapta.
An plures genuit ludificanda Ceres?
Ætna fuit quondam rapiendis apta puellis.
Sed non præbet idem noster Olympus iter.
Quidquid id est, quod tu nimium profiteris amorem:
Exoranda priùs, quàm rapienda fui.
Cœli progenies Hecaten aget, & tibi nubet!
Abstrahe lascivas improbe leno manus.
Cingere me frustra speras mortalibus ulnis:
Quantumvis Briareûs, centimanúsque gigas.
Qualiscunque tui pateat mensura lacerti:
Abstrahe lascivas improbe leno manus.
Invide cur nostro sic insidiaris honori?
Non satis est, ipsum te cecidisse semel!
Hoc nempe est, *nullúmque parem nullúmque priorem,*
Ut mihi scripsisti, *culmine posse pati.*
Exsolvit meritas prostrata superbia pœnas.
Fulmine dejectum fastus ad ima trahit.
Visne tuam nostro quoque damno implere ruinam?
Abstrahe lascivas improbe leno manus.
Auræ particulam divinæ, & æthere ductam
Miscebo siliquis, inficiamve luto?
O meritò ad Scythicam rupem religande Prometheu!
Dignus, quem Titij vultur obuncus edat.
Suadetur nobis malesana brevísque voluptas:
Támque fugax, quàm quæ lympha, vel aura fugit.
Momentum delectat enim, cruciátque Æternum.
Abstrahe lascivas improbe Leno manus.


Im-

Impia Tartareis torrentur viſcera flammis:
Aridáque in primis, quæ calefecit amor.
Hîc neſcit frigere *Venus*: neque munere *Bacchi*
Indiget. hîc *Cereris filia* ſupplet opem.
Utque rogo lignum nunquam non deſit alendo;
Adijcit *alatus* plurima tela *Puer*.
Silva ingens pharetræ, totum durabit in ævum.
Non extinguendam conficit illa pyram.
Non vacat arſuram tales haurire ſagittas,
Abſtrahe laſcivas improbe Leno manus.



PRIMÆ PARTIS DE URANIA VICTRICE, Sive Epiſtolarum FINIS.





EPICITHARISMA

SIVE

Epilogus Auctoris

In primam Partem Victricis Vraniæ.

CARMEN

ADventum Sereniſſimæ CHRISTINÆ ALEXANDRÆ, Sueciæ ac Gothiæ Reginæ, tranſeuntis Neoburgum ad Iſtrum: atque ibidem, à Sereniſſ. Duce PHILIPPO WILHELMO, Com. Palat. Rheni, Duce Bavar. Juliæ, &c. Ludis equeſtribus, feſtivis ignibus, ſolemni ritu magnificè exceptæ 21. Maij Anno 1662. ejusdémque CHRISTINÆ MIRABILIS encomia volante calamo complexum. 24. Maij.

HÆc ad Danubiū: quo tempore floribus Annū
Induit, & multo Majus odore fragrat:
Ac viſura Ducem ſapiens *Chriſtina* Philippum
Venit ab Arctois Regia Virgo plagis.

Hujus & excepta eſt ſecura modeſtia faſtûs,
Et quibus inventis culta, referre placet.
Quà patet, & vivo conſurgit Curia ſaxo,
Ante novum latè conſpicienda Forum:
Edita ſurgebat vaſti ſtructura theatri:
Vexillis, clypeis, arboribúsque frequens.
Quattuor hinc uno famoſa animalia cornu
Velârunt virides, Bacchica ſerta, comæ:
Frondésque & pleni cereali mergite currus,
Raſtra, ligo, falces: omnia *Pacis* opus.
Triſtior inde ſeges ferri: juxtáque quadrigas
Quattuor armati Bellipotentis equi:
Teláque, & hamatis junctæ thoracibus haſtæ;
Signáque cum galeis. Omnia *Martis* opus.
Phonaſcos aliud, mittit quos Itala Tellus,
Subnixum trabibus mobile Pegma tulit.
Circùm ſerpebant hederarum more corymbi
Inter quas abies, doctáque *Laurus* erat.
Phœbus ibi, & Muſæ, clivo ſedêre bicorni;
Parnaſſum Veteres quo ſtatuere ſitu.
Jámque aderat Populi, *Soboles Guſtavia,* votum.
Pectora ſubſultant, & ſacer horror agit.
Crederet hoc aliquis? Gnatam vertentibus annis
Staturam, Genitor quo ſtetit antè loco!
Ter centum tedis ardentibus area luxit,
Ludos non viſos exhibitura priùs.
Luna recèns factam, ventis in clauſtra reductis,
Scandebat bigam. tunc *Nova Luna* fuit.
Viderat ex alto pompam, cætúmque frequentem:
(Undabat toto plurima turba Foro:)
Inter & Aonides, poſito diademate, Fratrem
Pollice vocales ſollicitare fides.
Æcquid, ait, video? num ludor imagine falſa?
Quid meus hîc noctu frater Apollo facit?

Iam

Jam debebat equis, fessis sudore diurno,
Aurea cum duro solvere frena jugo;
Pabuláque ambrosiæ dulcis dare: jámque marini
Roris, apud Gades, fonte lavare jubas.
Non satis est, regnare die! cur castra Sororis
Occupat? in noctem quid, rogo, juris habet?
Vix hæc: cùm nitidum scenâ pandente Theatrum,
Effudit suaves musica porta sonos.
Argumentum operis, cantata est Balthica Tethys:
Quæ Ludo finem principiúmque dedit.
At Trivia audito *Christina* nomine, fertur
Litigio mœrens indoluisse suo:
Ac quoniam crescens, nec adhuc perfecta, rudísque,
Nondum completis erubuisse genis.
Addidit hæc: Salve *Gustavi* FILIA *Magni*,
Regia progenies, Vandalicúmque Decus.
Præ me digna fores istum conscendere currum,
Et primum stellas inter habere locum.
Sed te majorem, magnis Natalibus ortam,
Gloria per terras & super astra vehit.
Tu semper constans: menses ego mutor in omnes:
Tu sexum vincis femina: vincor ego.
Me Pastor decepit amans: te fallere cautam
Nullus in Orbe procus, nec Paris ipse queat.
O iterum felix *Pulcheriáque* altera salve:
Et bene, quod voveo, semper amica vale.
Sic ait, & sudo demittens cornua collo,
Ulteriora monet carpere prata boves.
Interea Litui turmas hortantur equestres,
Ut celebrem choream tempore noctis agant.
Qualis ad Æacide tumulum *saltatio* prima
Pyrrhicha, sic Pyrrho busta piante, fuit.
Instrepuere tubæ. sex hinc, sex Editor illinc
Distulit æquales. Classica rauca sonant:

Tympanáque alterno pulſantur ahenea tactu.
    Audiri Phrygium tu Corybanta putes.
Apparent Equites diverſa parte frementes:
    In veros hoſtes qualis itura phalanx.
Incinctos ſagulis rubri glaucíque coloris,
    Auricomæ rutilans caſſidis ornat apex.
Succeſſere omnes *criſtis capita alta coruſci*.
    Criſpantes onerat lancea picta manus.
Octoni *Hippodromum* ſibi ſecrevere potentem:
    Adque datum ſignum mobilis ala volat.
Quíſque ſupercilium mollem deflectit in iram:
    Séque virum ſtricto cominus enſe probat.
Nunc has, nunc illas curſu fecere figuras:
    Ut formare grues & variare ſolent.
Inque vicem reduces *mutant quadrata rotundis*.
    Fit ſubitò cuneus, qui modò rhombus erat.
Tractibus aduerſis obliquatíſque feruntur.
    Multiplici ludit textilis arte fuga.
More tamen Parthi vultum vertentis ab hoſte,
    Cùm minimè reris, qui fugiebat, ádeſt.
Ancipites non tot flexus Labyrinthus habebat,
    Dædalus in Creta quem fabricâſſe datur.
Dúmque adeò ſimulata cient præludia pugnæ,
    Et ſemel admiſſos area verſat equos:
Ecce interveniens ſubijt Mauruſia Pubes:
    Fuſca genas, dentes alba, retorta comas.
Miramur phaleras peregrinæ gentis & arma.
    Longior in manibus cuique ſagitta fuit.
Diſcolor à tergo nervúſque pependit & arcus:
    Hæſit ad accinctum plena pharetra latus.
Vertice Mygdoniæ fulgebat pluma volucris.
    Fluxerat è collo candida bacca nigro.
Bis bini inſignes, totóque ex agmine lecti
    Iurârunt circum, ponè ſequente choro,

Quip-

Quippe dabat biforem Berecyntia tibia cantum.
Implêrunt totum tinnula sistra Forum.
Exsultim choreas instauravere Magistri.
Ut neque protulerit Thessala terra pares.
Librârunt passus, sinuantes crura caballi;
Fecit & alternos ungula mota pedes.
Tollunt se arrectos, glomerántque volumina metro:
Cymbaláque ad numerum calcibus icta sonant.
Ipsáque barbaries gratâ feritate placebat:
Optimus ex Mauris unus Ephebus erat.
Mox equites alij rursum confundere ductus.
Succutitur pulsu quadrupedante solum.
Æmulas Hippomedon undantes flectere habenas,
Et gyro absistens interiore frui.
Qualis Mæander curuatis ludit in undis,
Et remeans vultus aspicit usque suos:
Occurrénsque sibi toties se cernit adesse:
Dum secat innumeras obvius amne vias.
Quid? quòd & expressit CHRISTINÆ nobile Nomen
Arte caballini litera ducta pedis.
Est aliquid, brutas pecudes, ratione carentes
Moliri, quod iners vix imitetur homo.
Haud procùl in tectis *Aquilæ* cognomine notis,
(Dilectæ funus qui modò luget Heræ:)
Mater (& est testis) turrita stetisse *Cybelle*
Dicitur, Idæo vecta leone Dea.
Postquam connivens lusum spectavit equestrem,
Audijt & buxum læta sonare suam,
Risit: &, ista placet nobis *Comœdia*, dixit:
Admiránsque, manu plausit anile femur:
Gavisa antiquum morem revocâsse PHILIPPUM:
Ac thyasos similes penè movere suis.
His, ait, ô si quam Princeps animosus honorat,
Debet honorari REGIA VIRGO modis.

Denique crinales venerando vertice muros
 Suecigenæ inclinans Diva, precata bene eſt.
Ocyùs aurigas bijuges ad Dindyma torſit,
 In ſibi ſecreti ſede recepta loci.
Poſt ea diſceſſum: Populúsque ad gramina campi
 Verſus, fæcundis quæ rigat Iſter *aquis*.
Illic conducti Siculo Cyclopes ab antro
 Subſtiterant, gnari cudere tela Jovi.
Seu velit in diros iterum torquere gigantes;
 Seu fictâ lepidum ſpargere nube jocum.
Intonuit. ſubitò lux ambit mira *Coronam*:
 Et ſacrum pyria NOMEN ab arce micat.
CHRISTINÆ *Nomen* medio ſplendeſcit in igne:
 Victáque nox tanti Nominis igne fuit.
Eſt, qui Vulcanum, ſed opaco lumine *luſcum*,
 (Non claudum) medios vidit inire rogos.
Tunc primùm è nitro fictis, & in æthera ruptis
 Fulminibus, nubes intremuere cauæ.
Exarſit fumans crepitantibus aura pyropis.
 Stridula noctivagas expulit olla faces.
Brontes & Steropes miſcent incendia. longos
 Ænea ſerpentes, quà datur, ora vomunt.
Quondam etiam tanto Cœlum tremit omne tumultu,
 Ac ſi in Danubium deſuper Ætna ruat.
Hoc quoque non pauci referunt, qui in ponte ſtetere,
 Verſat ubi rapido turbine Nympha molam:
Præcinctum muſco velatis cornibus Iſtrum,
 Gurgite diviſo grandè levâſſe caput:
CHRISTINÆ ut poſſet viciniùs ora tueri.
 (Et ſua Tritones nempe cupido coquit.)
Hiſpida rorabat fluviali aſpergine barba.
 Tempora, & hirſutum texit arundo latus.
Ter madidum ſummis temerè caput extulit undis
 Semifer, admotâ lampade, ſiqua fides.

Ter

Ter non sustinuit tantum perferre serenum.
Obruit arcanus lumine læsa vigor.
Majestas oculos ingesto fulgure clausit:
Ut nimius radijs Sol tegit astra suis.
Non ad sidereos quivis admittitur Orbes
Semideus capripes, rustica sive Dryas.
Nec se dignatur semper præbere videndam,
Glauce, tibi Juno, vel, satyrisce, tibi.
Ergo ululans refluis, querulo cum murmure præceps
Occuluit Triton se pudefactus *aquis*.
Lemnius interea noster, majore paratu,
Pulvere consertos ejaculare globos.
Pars in frusta crepant, ducúntque per aëra sulcos:
Pars pice torrentes sibilat inter aquas.
Fumida sulphurei transcurrunt nubila disci.
Fit fragor: & plures una chimæra parit.
Missilibus jactis cristatus inhorruit æther.
Mox, quasi per rimas, flammea penna cadit.
Ecce *Corona* volat tenues succensa per auras,
Par, Ariadna, tuæ: supra, Ariadna, tuam.
Dum per inane volat, vires acquirit eundo:
Multifidúmque rotat circumagítque jubar.
Ut rubet, & tractim medijs scintillat in astris!
Chrysolithis sursum torta videtur agi.
Donec in exiguos stillans evanuit ignes.
Num posset Mundi clarior esse typus?
Scilicet in fumum, post flammam, cuncta fatiscunt:
Et præter cinerem nulla favilla manet.
Quæque magis splendent simulacra moventia risum;
Franguntur citiùs, súntque caduca magis.
Hæc, fata Gustavo, sudâ spectacula nocte,
Hæc, oculis certè digna fuere tuis.
Suecia in exemplum est, quæ quis contemnere possit.
Virtutis studium certiùs illa docet.

Regna, velut modicum Sapiens CHRISTINA vaporem,
Integra, dum forti pectore ſpernit, habet.
Quid ſunt divitiæ terráque maríque repertæ,
Erutáque è foſſis fulva metalla? *vapor.*
Suffixum quid ebur, picturatæque columnæ,
Plenáque imaginibus atria longa? *vapor.*
Triſte quid Imperium; Faſcéſque, & Sella curulis,
Et genus, & magni Nominis umbra? *vapor.*
Felix, quæ potuit falſis ſubducere rebus,
Fortunæque rotæ, córque animúmque ſuum.
Iſtud in Europa præſtat nova Balthis Amazon:
Quæ fortes bello terruit antè viros.
Conſiliíſque valens, manibúſque, & amicta tropæis,
Bellonæ potuit ſæpe ſubire vices.
Dum ſummo in flore eſt, curas dimiſit inanes:
Invitátque ſequi. Quam timet invidiam?
Quiſquis CHRISTINÆ genium comprendere poſſet;
Forſitan URANIAM diceret eſſe meam.
Nam quæ credenda eſt Regina potentiùs, omni
Ex numero, SENSUS poſſe domare ſuos.
An non illecebras, irritamenta malorum,
Et Patrias dura fronte removit opes?
Paſſeris ut nidum SOLIUM dejecit ab alto,
Contemptrix Regni Pentheſilea ſui.
Quod Genitor *Punctum* ferro diviſit & igni;
Filia vix puncti ſanctior inſtar habet.
Calcantur gemmæ: Pietas præponitur oſtro.
Proijcitur *Sceptrum*: ſpreta *Corona* jacet.
In *Lauretana* Sacrata *Virginis* Æde,
Pulcriùs ô quantò Regia gaza micat!
Vir gaudens potiùs, quàm femina blanda videri,
Gratiùs in medio ſidere torua nitet.
Veſte humili: fucus nullus. ſine lege capilli.
Ingenium forma eſt. hoc Venus eſſe poteſt.

Diſci-

Discite formosæ cupientes esse puellæ,
Pigmentis teneras non violare genas.
Vestra quid emplastris maculatis inanibus ora?
Non maculat faciem, velle placere, satis!
Nec lac mularum, neque ros, aut germina conchæ,
Aut pulcras faciet murice picta toga?
Quod Natura negat, frustra transcripseris arti.
Est, ubi neglectus, squallor & ipse decet.
E cujus tetrico radiat sapientia vultu,
Absque recensitis est speciosa bonis.
CHRISTINÆ cinctus, & quidquid corpore gestat;
Vix aliquot nummis, si liciteris, emas.
Ite, decor quarum totus consumitur extra:
Dote tamen propriâ Mens vitiosa caret.
Sæpe puellarum cura & labor omnis in hoc est;
Ut niteat rarus colla per alba lapis.
Virginis indicium, palla ex Sidonide lanâ;
Cúmque dolo speculi, serica cyclas erit,
In cerussato vendit mendacia vultu,
Non palpanda quidem: qualiacúnque tamen.
Jam quota se mulier longo non jactat in auro?
Phædra petulca domi, Penelopéque foris.
Marmore de Pario spectabis fortè sepulcrum,
Cræsi thesaurós hîc habitare putes.
Inspice, & horrebis. Cernes deforme cadaver.
Iam lambit fibras vipera multa putres.
Sic peplum & faciem miraberis usque venustam:
Intus nil Helenas præter & ossa latent.
Error, stultitiæ, luxus, levitásque superba.
Inde fit ornatis sordibus alta domus.
At non hos mores tradit popularis Imago
Birgitta, Sanguis Suecus & illa fuit.
Panditur ex Aquilone Bonum: mirabile dictu.
Temnere Reginæ nos peritura monent.


Purpura centones cœlo transmittere curat.
Et dubitet rastrum Sceptra ligóque sequi?
O Proceres, clamat CHRISTINA, ignoscite nobis.
Regna nihil pulcri, cur inhiemus, habent.
Verbáque re firmat. *Stockolmæ* mœnia linquit.
Aula triumphalis, proxima quæque casa.
Pro mitra petasus. plebejo mutat amictu
Oebalium, ex collo fascia trita fluit.
Nec multùm referre putat; Thetis, anne Lyæus;
Candida sit mensæ vilis, an atra Ceres.
Quandoque & plaustris audet committere somnum.
Suavior in nulla est ambitione quies.
Quid sit olor, non tam suevit sentire cubando;
Quam quòd scribentes adjuvet ala manus.
Aurea cygneis signatur Epistola pennis.
Iures Tulliolam cum Cicerone loqui.
Ut contempsit opes: sic libertate retentâ
Mentis, ut à primis inclyta fluxit avis:
Et se Reginam meminit cum laude fuisse:
Quódque etiam miror, nunc magis esse probat.
Venari tædet: nisi quòd venatio ferrum
Stringit, & est sævo dente timendus aper.
Quamvis sacra colat secreta aliquando Dianæ,
Non gaudet cæsis invigilare feris.
Ardua cum canibus lustrantem Mænala, solo
Nobiliùs titulo Virginitatis amat.
Altior est animus, majoráque vota capessit.
Haud implent istum gaudia vana sinum.
Præfertur Virtus; facunda scientia mulcet.
Adde libros: arma cuspide: Pallas erit.
Vivat: &, ut Romam, quò tendit, lætior intret:
Iungamus facili vota precésque viæ.
Optamus: Genij comitentur ut æthere lapsi:
Ut rosa sub pedibus consita sternat iter.

Par-

Parcite ventosæ gelidis vos flatibus Alpes.
Candidior vestra jam nive Virgo venit.
Temperet immodicos Zephyri levis aura calores:
Et mollem fessæ præbeat herba torum.
Tybris ALEXANDRO paret. cùm venerit illuc:
Tybris ALEXANDRAM pronus & ipse colat.

24. Maij 1662.

FINIS.



Errores typi ſic corrige.

Fol. 5.	v. 25. noſtra	lege	noſtræ:
10.	v. 18. ab hanc	l.	ab hac.
58.	v. 22. tua	l.	tuæ.
60.	v. 13. nec quam	l.	nec quæ.
71.	v. 32. claudus	l.	claudas.
75.	v. 27. Ptolomæum	l.	Ptolemæum.
78.	v. 2. Atque lyram	l.	Adque lyram.
87.	v. 17. perdicimus	l.	prædicimus.
89.	v. 33. quem	l.	quæ.
90.	v. 14. egit?	l.	agit?
95.	v. 10. proponat	l.	præponat.
99.	v. 8. celſa	l.	cæſa.
ib.	v. 33. Ahtota	l.	Ah tota.
112	v. 1. quærit	l.	quæri.
113.	v. 11 Eurydicem	l.	Eurydicen.
ib.	v. 13. Deſcendes	l.	deſcendens.
119.	v. 12. Sunt quas	l.	ſunt, quos.
124.	v. 19. ſiſtertia	l.	ſeſtertia.
127.	v. 10. cæteros	l.	cæteras.
140.	v. 5. Agamemnone	l.	Agamemnona.
142.	v. 18. corpora	l.	corpore.
143.	v. 9. egreſſæ, nobis hinc,	l.	egreſſis hinc nobis.
147.	v. 4. praſtantiſſimi	l.	præſtantiſſimi.
153.	v. 2. fui	l.	ſui.
Ib.	v. 20. NATO	l.	NASO.
154.	v. 3. prædatur	l.	prædator.
158.	v. 33. ſiluiſſet	l.	ſiluiſſes.
178.	v. 2. latiſſimæque	l.	lautiſſimæque.
180.	v. 9. apibus	l.	avibus.
184.	v. 7. coronat	l.	coronant.
190.	v. 9. Alemanide	l.	Alemannide.
193.	v. 12. fatebar.	l.	fatebor.
196.	v. 24. culpat	l.	culpas?
210.	v. 9. evincis?	l.	evincis.

Fol.

Fol.	101. comparandi	l. comparandus.
	230. v. ult. læva	l ſæva.
	241. v. 9. pennittit	l. promittit.
	257. v. 21 ſequaces	l. ſequaces.
	259. v. 31. marceſſere	l. marceſcere.
	268. v. 32. Non bovis	l. Vox bovis
	271. v. 2. audiens	l. audeas.
	274. v. 26. defexi	l. devexi.
	282. v. 20. tædæ	l tædas.
	286. v. 8. erat.	l. erit.
	Ib. v. 13. Ducis	l. ducis.

Minutias punctorum, commatum; interpunctiones omiſſas, vel transpoſitas, prudens Lector facilè ipſemet advertet, & corriget. fol. 100. ultimum diſtichon totum transpoſitum eſt, tribus antecedentibus præponendum: ut ex ſenſu patebit.

Fol.	304. v. 2. mina	l. minas.
	315. v. 15. ut	l. utque
	eod. v. 29 mari	l. amari.
	316. v. 25. &	l. ex.
	320. v. 1 &	l. ut.
	321. v. 27. collo	l. Cœlo.
	eod. v. 31. Æacide	l. Æacidæ.
	322. v. 9. potentem.	l. patentem.